

MAGNALIA DEIPARÆ,

AD

Imaginem Zdzieſzouienſem

Penes Oppidum Borek

Celeberrimam,

DIOECESIS POSNANIENSIS

Gratijs & Miraculis innumeris

CORVSCANTIA,

Præuio Diſcurſu de Cultu & antiquitate

IMAGINVM,

Gratitudinis ergò.

A quodam DEIPARÆ Cliente ibidem multa

Beneficia experto,

EVVLGATA.

Anno à Partu Virginis M. DC. LXXXII.

CRACOVIÆ,

Typis FRANCISCI CEZARY, S. R. M. nec non Illuſtriſſimi

& Reuerendiſſimi Epiſcopi Cracou: Ducis Seueriæ Typogr.

M. Andreæ Cybulski

Ex Libris M. S. B. Ph. D. S. C. H.



Imago Miraculosa B. Mariæ Virginis in Zdziesz
ante Borck Maioris Poloniæ =

Perillustri & Reuerendissimo Domino,

D. IOANNI RYCHTER,

Dei Gratiâ Ducalis Monasterij Lubensis, ad Oderam Sacri Ordinis Cisterciensis

ABBATI,

Per Silesiam Commissario Generali,

Ac Sacræ Cæsareæ Regiæq; Máiestatis *INTIMO CONSILIARIO,* Domino & Patrono.



Cceptissimũ pridem Deiparæ IOANNIS *Nomen est Perillustris & Reuerẽdissime Domine; cuius Tutelæ à Moriente Domino, suoq; Vnigenito consignata, Vicarium Obedientiæ (quam Christus in vitâ factus* subditus illi *exhibuerat)* Lucæ 2. *in Adoptiuo Filio reperit: & felici ipsius Etymi proludio, Mater Gratiæ, ad Gratiosissimũ Christi Discipulũ, Testamẽtariâ ordinatione declinauit:* Neq; enim *(inquit S. Ambrosius)* Mater Dñi nisi in Possesionẽ Gratiæ migraret? S. Ambr. inCap. 19 S. Ioan. *Hoc præduce incitati exemplo, non diu in ancipiti hæsimus, quô eadem Sacratissima Virgo, in sua Zdżiessouiensi Imagine verè Admirabilis, deducentibus nobis com m grare deberet: siquidem tractũ à Gratijs Nomen Tuum, Insignem tot Gratijs & Portentis Dominam, non alibi nisi apud Te Perillustris*

illustris & Reuerẽdiss: Dñe collocari exigebat; & congruũ omninò erat, ut allecta officioso Deuotionis Tuæ cultu Deipara, cum Magnalibus ad Te diuerteret; ad quam Tu quouis Anno, nullis longinqui itineris remorantibus impedimentis, cum magno Pietatis sensu, & spectãtiũ ædificatione diuertere venerabundus consueuisti. Reciprocæ proinde dilectionis Excursu, certat Tecũ Mater pulchræ Dilectionis, *practicãdo illud Salomonis calamo exceptũ promissũ;* Ego Dilecto meo, & ad me conuersio eius; *ardentissimũq; in venerãdâ Imagine suâ zelum Tuũ, non internis solùm Gratiarũ cõpensare appromittit argumentis, ut* secundùm Nomen Tuũ sit Laus Tua; *verum etiã externis hisce, per Nos Ecclesiæ Zdźieszouiẽsi cultuiq; suo specialiter mancipatos, exaggerat testificationib⁹; dum amicas & notas Perillustris & Reuerẽdiss: Dñationis Tuæ cõcedit in ædes; minimè ambigens, quòd* Dilectus Ioannes, *iterùm* ex illa horâ accipiet illam in sua. *Inueniet enimuero Hospitalis ista Gratia, D. T. sueta ac solennis, magnũ impensi affectus præmiũ; quando hos* MARIANÆ *Potentiæ, per varia ad Imaginem Zdźieszouiensẽ edita Prodigia ac Beneficia clarescẽtis, breues Fastos, beneuolo excipiet cõplexu; quorũ idem ille deuotus Cliens Pars magna fuit, qui euulgandis calamũ stylũq; sacrauit; Confidimus enim quia veniẽte ad Inclitum Celeberrimũq; Asceteriũ Tuum* Deiparâ, *per scientiã experimentalẽ discet Perillustris & Rẽdissima Dñatio Vestra, & cum Salomone accinet;* Venerũt mihi omnia bona pariter cum illâ. *Quod Nos dum plenis apprecamur Vobis simul manemus.*

Eccl: 24. Cant: 7. Psal: 47. Sap: 7.

Perillustris & Rẽdissimæ Dñationis Vestræ,
Deuotissimi Exoratores
S. IOSEPHI ad easdem Ædes B. M. V. Capellani.

•§)✠(§• •§)✠(§•

AD LECTOREM.



CElebre olim Athenis extitisse Delubrum DEO CLEMENTIÆ Sacrum memorat Statius, in quo Ignotum illud verùm in commune Beneficium residens Numen, obuiâ liberalitate supplicātium necessitatibus occurrebāt; & nullo cuiusquam adeuntis repudio, Dona sua ad mensuram Votorum, per confluentes populos partiebatur; de hoc Delubro eleganter Poetarum vertex.

Vrbe fuit mediâ nulli concessa potentûm, Statius lib. 12. Thebaidos.
Ara Deûm; Mitis posuit Clementia sedem,
Et miseri fecêre sacram; sine supplice nunquam
Illa nouo, nullâ damnauit vota repulsâ;
Auditi quicunq; rogant; noctesq; diesq;
Ire datum, & solis Numen placare querelis.

Par imò felicius multò Templum sisto Tibi ante oculos Amice Lector; in quo verè DEVS Clementissimus, & PATER MISERICORDIARVM, quem ignorantes colebant Gentiles (vti inquiebat S. Paulus) à concurrentibus populis debitam recipit Venerationem: & simul MATER MISERICORDIÆ, *in cuius visceribus ea quæ ex Deo est Misericordia nouem Mensibus corporaliter requieuit.* Hîc enimuero liber cuique patet aditus; & nullum Magna DEI CLEMENTIÆ *ac totius Consolationis* Mater, fastuoso vel fastidioso dedignatur supercilio; sed *Omnibus Clementissimam* (vt ait S. Bernardus) *omnibus exorabilem se præbet, & omnium necessitatibus amplissimo quodam miseratur occursu.* Habent non dubiam optatæ Miserationis tesseram venientes supplicum turmæ,

1. Cor: 1. — S. Bernardus. — 1. Cor: 1. — S. Bernar: Sermone Signum magnum.

dum proſtantem in Effigie Virginis, & ipſo gratioſiſſimi oris propylæo legunt Clementiam: plenam enim Votorum ſatietatem ſpondet precantibus, vel Primus Partheniæ Faciei intuitus; quæ nullas contracta in nubes, ita Maieſtatem effulgurat, vt ſcintillantis è benigno oculorum flexu delinimenta Manſuetudinis non imminuat. Reperit profectò poſt ſubductam Deiparam, non modicum ſolitudinis ſuæ ſolatium, orphanus inferior mundus; quia cum paſci voluptate ſuauiſſimi illius vultus nequeat, qui (S. Damiano teſte) *Naturam etiám Angelicam ſolicitat ad videndum*, attamen in Iconibus Virgineis cupitas prælibat delicias. Queri alias meritò de illatâ iniuriâ, & Raptoris cæli auaritiam iuſtiſſimâ accuſatione percellere potuiſſet; quòd nobiliſſima Beatæ Animæ MARIANÆ ditatum poſſeſſione, Deifici ſaltem corporis theſaurum ſibi negâſſet; niſi & piæ huius rapinæ inuidiam, & iacturæ ſuæ acerbitatem, relictarum Imaginum Fruitio leniuiſſet. Equidem Mellifluus Abbas ſatis coæquatam eſſe Terreſtrium cum Cæleſtibus ſortem credidit, quando abſentiam receptæ à ſuperis Deiparæ, obtenta ſuauiſſimi Nominis ipſius cum pleno vſufructu hæreditas abũdè ſuppleuit; ſic enim ille, *Facunda Virginis amplectitur Cælum præſentiam, Terra memoriam veneratur, ſic nimirùm totius boni illîc exhibitio, hîc tenuis quædam libatio Primitiarũ; ibi Res & hîc NOMEN:* Verùm tametſi opulentum ſatis pignus in Sanctiſſimo Nomine MARIÆ tenere Nos fateamur; accumulat tamen inſuper damni Noſtri compenſationẽ Deipara, quãdo ſubtractos ex oculis Mortaliũ vultus (quos nunc liquidò contueri non licet) per ſacras Effigies oſtentat; & gratiſſimo illicio animos ſpectãtiũ rapit. Triplicem Inſtitutionis Imaginũ, in Eccleſijs Catholicis rationẽ fuiſſe docuit S. Thomas. *Primò ad inſtructionẽ rudiũ; qui eis*

S. Damianus Serm: de Aſſumptione.

S. Bernardus Sermone de Aquæ ductu.

tanquam quibusdã Libris edocentur: Secundò vt Incarnationis Mysterium & Sanctorum exempla magis in memoriâ essent, dum quotidie oculis repræsentantur: Tertiò ad excitandum deuotionis affectum, qui ex visis efficacius excitatur quàm ex auditis. Tales flagrantissimæ Deuotionis Affectus quamuis per omnia Catholicorum Templa, in colendâ Dei Genitrice certent; specialiter tamen BASILICA ZDZIESZOVIENSIS, Augustâ Imagine illius nobilitata, affectuosis hisce feruet studijs: ad quam innumerabiles confluentium turmæ, Beneficentiâ Virgineâ (quæ illic clarioribus argumentis per experimenta noscitur) pellectæ, iuges eiusdem personant laudes, ac perceptas Gratias, meritarum rependunt persolutione gratiarum; recognoscentes verbis Regij Psaltis: *Suscepimus ô MARIA Misericordiam tuam in medio TEMPLI TVI.* Et sanè Misericordia Deiparæ vix alibi copiosiori restagnat eluuie, atque in Templo ZDZIESZOVIENSI; vbi nullus labitur dies, quem insigni aliquo Miseris exhibito Fauore, non insigniat; vt meritò cum Claræ Vallis Abbate affirmare audeam; quia Illic *Omnibus Omnia facta est, omnibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, Omnibus Misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi.* Hoc vt Tibi plenius constet Beneuole Lector, percurre pauca hæc verùm selectiora ex Authenticis præfatæ Ecclesiæ Monumentis excerpta MARIANÆ VIRTVTIS Prodigia, per quæ Imagini suæ venerationem intendit: & benedic Omnipotentem tantæ Matris Filium, qui Arnoldo Carnotensi attestante *Gloriam suam cum Matre non tam communem esse voluit quàm eandem.*

VALE.

S. Thom: in Tert: Senten: Distin: 9. Art: 2. Responsione ad Q. 92.

Psal: 47.

S. Bern: Serm: Signum magn.

Arnold: Carnoten: Tract. de Laud: Virginis.

AP-

•◊§)(✝)(§◊• : •◊§)(✝)(§◊•

APPROBATIO LOCI ORDINARII.

Librum cui Titulus MAGNALIA DEIPARÆ, de Imagine Miraculosâ Beatissimæ MARIÆ Virginis in Ecclesiâ Zdzieszouiensi ante Oppidum Borek, Historiam continentem, Authoritate Officij nostri approbamus & typis imprimi permittimus, Dat: Posnaniæ die 4 Septembris 1678.

Albertus Dobrzelonski, Archid: & Officialis Posna: Generalis mpp.

Approbatio Magnifici Rectoris Academiæ Cracouiensis.

M. SIMON STANISLAVS MAKOWSKI S. Theologiæ Doctor & Professor, Studii Vniuersitatis Cracouiensis Generalis Rector, lecto diligenter & attentè Libro hoc, MAGNALIA DEIPARÆ complectente, visâque Orginali Censurâ, dignum luce iudicat, & dat facultatem imprimendi. Datum Cracouiæ Anno Domini 1681. die 1. Nouemb. mpp.

CAPVT

MAGNALIA DEIPARÆ.

CAPVT I.

De Vſu & Cultu Imaginum contra Heterodoxos, Diſcurſus ex Ratione & Scripturâ petitus.



Maginum Vſus & Cultus, tantis olim veterum Iconoclaſtarum agitatus æſtibus, nouitio etiamnum, Sectariorum vrgetur odio: E quibus, Alij totam, ex integro quarumuis Effigierum, nauſeant proſcribique cupiunt ſeriem, & Idola ac Imagines, impudentiſsimo conuitiandi conuoluunt genere, pariquе Numinis interdicto ſubeſſe clamant: Alij quibus euidens inter hæc diſcrimen, Politicum quidem ſeu Ciuilem, Imaginum vſum tolerant, & memorandis ſaltem myſterijs, ac rudioribus per externa geſtorum lineamenta inſtruendis, vtcunque ſuffragari fatentur; nullo tamen dignandas Hono-

Odium hæreticorum aduerſus Imagines Sacras.

re ac Veneratione, & ad solos spectantium intuitus, non autem Cultus prostare debere, obstinatissimè contendunt. Et illos quidem, qui temerario nexu, Iconas compingunt Idolis, DEVS, Natura, & Ratio, validissimis conuincunt argumentis: In his enim cùm tanta effulgeat Imaginum fertilitas, quis nisi emotæ mentis, vberrimam Sensibilium ac Intelligibilium specierum sobolem, inter detestanda Idolorum numeret propudia? Coæternus ante omnia DEO ipsi, Imaginum partus est; qui licet totâ retrò æternitate, in vnam duntaxat, sese digelsit Imaginem, dum Consubstantiali totus refulsit in Filio, *ea tamen Inuisibilis huius Diuinæ Imaginis* (vti à S. PAVLO nominatur,) vis est, vt non modo principium originis suæ, nempe Patrem, plenè & integrè referat; *Qui enim videt me, videt & Patrem meum*, inquiebat ipse D. PHILIPPO; sed totius mundi seriem, & stantium iuxta ac possibilium, Creaturarum formas, exactissimâ repræsentatione in se veluti Archetypo exhibeat. Vident gaudentque hoc spectaculo Beatæ mentes, dum in VERBO, illâ nempe expressissimâ, & res omnes planissimè referente Imagine, pro captu statuque suo, tantò plura delibant; quantò puriores, & à noxarum labe magis illimes visus, in illud Diuinæ Sapientiæ Theatrum, Generalemque Idearum omnium officinam,

Imago nõ est idẽ quod Idolum contra Caluinum.

Alias Verbum quod est Imago Patris, esset Idolum Patris.

1. Thessalonic: 1.

Ioann: 14.

nam, è terris intulerint. Et quis CALVINIANO afflatus fascino obgannire audebit, & *Splendorem gloriæ ac Figuram substantiæ Patris*, ad infanda Idolorum commercia detrudere? certè Primum Idolatram, fateri is cogetur, Patrem æternum, qui *cùm iterùm introduceret Filium suum in mundum*, illam nempe Increatam sui Imaginem, omnes Spirituum Ordines, Cultui ipsius mancipauit, cùm dixit; *& adorent eum omnes Angeli eius.* Iam si ad externa, quæ Diuinæ ambitu non clauduntur naturæ, opera flectamus aciem, occurret potissimus è Creatis Homo, Opificis sui Imagine Nobilis; quæ si ex arbitrio vertiginosi Nouatorum cerebri, cum Idolo coincidit, DEVS bone, quàm ferax ab ipsâ omnipotentis manu, in Protoplasto Idolorum sparsa sementis! quanta etiamnum continuâ fæcunditate eorundem luxuriat propago! dum, quot homines, tot secundum Apostolum *Dei Imagines*, secundum CALVINI placita, Idola terris sæculisque inerrant. Satis profectò iniurium in humanum genus format DEVM, qui illum tot minis edictisque vetita Idola primùm effinxisse, & in suâ Imagine, quam humanæ impressit menti (si Imago eadem, cum Idolo est) orbi inuexisse asserit.

Hebr: 1.

Ibid: Hæbr: 1.

& homo ad imaginem factus Dei, esset Idolum Dei.

1. Corinth: 11 ver: 7.

Verùm prodeat Natura, & furiosas voces, toto operationum suarum, castiget robore: hæc enim,

Species quoq; sensibiles ac intelligibiles essent idola.

enim, cùm in nullos Animalis, ac Intellectiuæ vitæ actus, exire possit, sine debito specierum adminiculo; omninò fædam Idolatriæ subibit notam, & tam fidelis Imaginum Assecla, tot speciebus adstricta, & concatenata inter Fautores, immò Factores Idolorum audiet. Intelligentias ipsas materiæ licet cassas, Imaginum tamen, DEVS Auctor Naturæ, noluit esse exsortes, dũ eis tot species concreatas, per quas in rerum feruntur notitiam indidit: Illas ergò siquidẽ Idolis GENEVENSIS lacunæ fæx aggregat, in ipsis necessariò cæli penetralibus, inter resonas DEI laudes, Idolorum vsum in Cognitionibus Angelicis agnoscat, & liberum ac licitum veteratoriâ calliditate fateatur. Sed quorsum Miseros vesanis pridem mersos absurdis in noua trudamus? Euincat ratio Rationis refugas, & per proprij tantùm sensus inania vagantes; hâc enim dictante, satis internoscitur, quàm vasto inter se, Idola ac Imagines dissideant interuallo; Nam *Idolum dicitur rei fictæ species, & quæ nullatenus talis fuerit, nec esse potuerit qualis in muto exhibetur simulachro*: Imago verò *est Effigies exprimens rem vel personam, secundum ea, quæ illi verè aliquo saltem modo competunt.* Hoc inter Idola ac Imagines discrimen, agnouit vel Gentilis PLATO, qui in Theæteto, Idola mẽdaciorum cætui aggregauit; optimâ sanè ratione: nam

Etiam in Angelis species habentibus cõcreatas.

Idolum est species rei fictæ, imago veræ.

Plato in Theæt.

ne: Nam cæca Antiquitas, dum ſuos SATVRNOS, IOVES, MARTES, & cæteram Numinum colluuiem in variis Statuis oſtentauit, non eos homines quales aliquando fuerant, ſed DEOS quales eſſe non poterant, inſano commento credi voluit; *& incommunicabile Nomen ligno ac lapidibus* adſtruxit. Hinc eſt quòd Apoſtolus, Idola, *Nihil eſſe* aſſerit; non quòd omninò nihil ſint, quæ & diuite interdum pretioſi metalli tument materiâ, & per egregias artifice manu deducuntur formas; ſed quòd mentitam Deitatem, quæ de facto nulla ac nihil eſt, aſt è ſolis deerrantis à ratione generis humani, pullulat delirijs, inſanâ oſtentatione vſurpent. Vnde & ſcriptura, Idola, *ſimulachri* appellatione, plerumque circumſcribit; vt vel ipſo prodat nomine, quòd veri inania, totum ſimulent, & à fabulis Deitatem mutuent. Nec verò Catholici metuimus, næ eodem & ipſi figamur telo, & in pleriſque ſaltem Imaginum figuris Simulationis, ac è conſequēti Idololatriæ arguamur; quia & Angelos corporum caſſos, humanâ ſpecie conueſtire, & DEO ab omni materiæ concretione, vel maximè ſegregi, humanos vultus induere audemus: Neque enim nos tunc quidquam è vano depromimus; qui DEVM & Angelos, non quales in ſubſtantiâ ſuâ ſint, ſed quales ſæpè apparuerint, in lineamenta traducimus; Nam & DA-

Sapient: 14.

Idolum Apoſtolo nihil dicitur 1. Corinth: 8. Ver: 4.

Deus & Angeli non in ficta ſpecie pinguntur, ſed in qua li viſi.

NIELI DEVM vt Antiquum dierum visum esse,& Angelos IACOBO sub Luctatoris, IOSVE Militis, THOBIÆ peregrini Iuuenis, HELIODORO tremendi Equitis habitu apparuisse scimus. Vnde falsò imponere credulitati rudiorum insimulamur, qui speciem, quam ipsi aliquando induerint, oculis proponimus. Nolo vlteriùs, vecordem hanc sententiam, calamo incessere, multominus ad debellanda tanta deliria, plenam Scripturarum aciem explicare; satis ea multis, vel vnum SALOMONIS Templum demolitur telis, in quo cùm tot ære vel auro fusæ, Boum, Palmarum, Liliorum, Cherubinorum prostarent Imagines; Si hæ nullo ab Idolis discriminantur limite, mirum est, DEVM socij quondam DAGONIS pone Arcam intolerantem, tantum Idolorum confluuium, in proprijs passum esse adytis; & Augustissimum illud Templum æquè Numinis sui habitaculum, ac tot Idolorum fieri voluisse receptaculum.

Templum Salomonis plenum fuit imaginibus, varijs.

Transeo ad illos, qui Imaginum vtcunque patientes, eas tamen ad sola tantùm oculorum lenocinia, non verò religiosi Cultûs officia, exhiberi posse contendunt; & Orthodoxos tanquam amore Imaginum lymphatos, quique Cultum DEO soli debitum, ad mutas transferant Effigies, nimis prælicenti criminatione sugillant. Horum speciosis vocibus, quantum subsit virus, & quan-

& quantus, ſub perſonato zeli habitu, lateat aduerſus Sancta liuor, antequam palam fiat, præfari paucis libet, *Quidnam ſit*, *& Quantum ſe extendat*, Cultus ac Veneratio? Vt horum nominum vis, in ſuâ latitudine deprehenſa, in occaſionem deinceps mordacis cauilli trahi ab Acatholicis nequeat. Ex communi itaque, ac in vniuerſum recepto ſenſu, *CVLTVS dicitur Actus reuerentiæ & honoris, ob aliquam Excellentiam Rei vel Perſonæ delatus*; quæ Excellentia, quoniam intra fixas non hæret metas, ſed pro varietate ſubiectorum, varijs ampliſsimiſque excurrit ſpatijs, Conſequens eſt, iuxta rationem & gradum Excellentiæ, Cultum ampliari vel contrahi. Atq; hinc eſt, quòd ex diuerſo Excellentiæ motiuo, diuerſæ etiam reſultent venerationis ſpecies: Nam POLITICA & CIVILIS defertur in ſignum Sæcularis Eminentiæ, vti vectigale dominatricis poteſtatis penſum; RELIGIOSA & SACRA impenditur per reſpectum Excellentiæ Spiritualis, vti ſacri argumentum Honoris, & deuoti auctoramentum Horroris. Seponamus tantiſper Excellentiam Politicam, amplectamur Sacram; hanc autem quia diuerſimodè in diuerſis radiare agnoſcimus, ad diuerſa quoque officioſæ venerationis Symbola, ſinuari non grauamur. Eminet in Sacris Primus & Summus DEVS, cuius Excellere cùm idem ſit quòd ſuum ab-

Cultus quid ſit in genere.

Cultûs & Venerationis variæ ſpecies pro ratione Excellentiæ.

Summa Dei Excellentia sũmum meretur cultum.

um absolutum esse; Supereminens DEI SANCTITAS, totum totius creaturæ affectum, totum omnigenæ Venerationis, iure sibi rapit censum; Sequuntur DEVM infinitis licet passibus minores sacræ tamen Excellentiæ per gratiam participes; & vt ait Princeps Apostolorum, *Diuinæ facti consortes naturæ SANCTI*: in his quemadmodum arctatam certis terminis Sanctitatem inesse scimus, sic etiam certum, & à priori longè dissitum, venerationis gradum, eisdem impertimur. Abit hîc iterùm in alias formas circumspecta Orthodoxa pietas, & mensuram Cultûs, dignitati cuiusque pulchrè coaptat; dum Absolutâ veneratione, ipsas Sanctorum prosequitur Personas; Respectiuâ autem, res propriæ quidē Excellentiæ vacuas, aliquo tamen respectu, personis Sanctorum connexas; Ita prior ille Cultus, recto tramite, in Sanctos desinit, hic verò ab Imaginibus eorum reflexo calle, in ipsosmet reuerberat. Facessat iam toruo Vesana ore Hæreticorum rabies, & malignum dentem, Catholicæ desinat imprimere Deuotioni; quasi DEVM & SANCTOS, eorumque Imagines, intra eandem, paris Cultûs, compingat & arctet orbitam; Circumscripta apud nos, vti Excellentiæ, ita Reuerentiæ cuiusque Sphæra est; & dimensum, ad libellam Sanctitatis pondus Honoris; respondetque

2. Petri 1.

Sancti coluntur cultu absoluto.

Imagines respectiuo in ordine ad Sanctos.

que æquâ proportione Dignitati, Cultûs dignatio ; Ita Summum & totum Cultum DEO addiximus, pressum & ex parte, Sanctis vti *Amicis à DEO nimis honoratis* ; Reflexum & ad sua directum exemplaria, Imaginibus. Verùm quoniam vltimus iste, Orthodoxæ pietatis, erga Imagines ardor, primis & maximis, Heterodoxorum agitatur stridoribus; ne deinceps, mordaces zoili habeant, quâ parte in nos, suos euibrent aculeos, Trinum, pro tutela Imaginum, iaciam vallum: *Ex Ratione, Scripturâ, & Solidatâ per tot sæcula Auctoritate coactum.* Euidens inprimis est, dictante Ratione, Testante Stagiritâ, quòd *idem est motus in Imaginem & in Exemplar illius* : Cùm enim vi Naturalis coniunctionis, Imago referat illud, quod inductis exprimit coloribus, necesse est, ex præducis incidentiâ oculi, reuerberatam mentem, attolli in cognitionem Prototypi; ac præter speciem quã externo haurit visu, altiore exemplaris ipsius sensu tangi. Vnde & Orthodoxa Pietas, quoties deuotâ mente, Imaginibus Sanctorum aduoluitur, non circa extima lineamentorum crepundia, puerili hæret leuitate ; sed ad ipsos penetrans Diuos, per figuras, Cultum suum, Figuratis desacrat & addicit; Eos nimirùm, pro obiecto Formali Venerationis constituens, quos in

Aristoteles lib. de Reminiscen: cap: 2.

Cognitio imaginis terminatur in exemplari naturaliter.

Effigie propriâ moraliter exiſtentes (tametſi Phyſicè diſtincti ſint) attendit & apprehendit. Ita vel ipſo Naturæ lumine, caſtigantur furioſi Imaginum Cenſores, Nos verò ſuperſtitionis crimine abſoluimur; qui Imagines quatenus SANCTIS, repræſentatione coniunctas, honore debito proſequimur; Illum enim ab Imaginibus in SANCTOS refundi, tum Naturæ inſtinctu, tum Noſtræ deuotionis, vti ad ipſos vltimò terminatæ, deſtinatione nouimus. Nec alius apud omnes gentes, prodromæ Rationis ductum ſecutas, de Imaginibus ſenſus, quæ, naturalis cum Prototypo Iconum connexionis, certæ, quoties Principum vultus in Statuas, aut Picturas transferunt, toties honore eiſdem præſtito, deliniri, probris tangi & vri, Principes ipſos credunt: quorſum enim per tot ſupplicia, illatas Regum Statuis, vel Coloſsis iniurias vltum irent? ſi totam iniuriantis rabiem, in ſolâ Imagine exſpirare, nec vltrà porrigi, & ipſos quos exhibent Reges, impetere ſentirent? Quantos perdidit Imago TIBERII, vilioribus locis, improuidè illata, nec cum eâ, per quam fulgurabat, ſignatorij annuli gemmâ depoſitâ? Et vt furentem hoc in paſſu Gentilium omittam Superbiam (tametſi illa Imaginum contumelias nõ ſine ratione, ad Cæſares deflexerit) quantis cladibus

Ita & Cultus ad eadem tranſit.

Imagines capaces contumeliæ,

Ergo & honoris.

Puniti violatores Imaginũ

dibus, & multi eluuie cruoris, constitit ANTIOCHENSIBVS euersa PLACILLÆ Imago? quam ne deinceps bacchantis populi manibus deijci contingeret, THEODOSIVS Coniunx, aggestis per cædes cadaueribus, firmauit. Hodiè quoque an non seuera illorum capitibus impendet Nemesis, quos inserta Marmoribus, vel illita Tabulis, Regum & Monarcharum ora, in sua accendunt opprobria? Hæc enim, cùm ad Reges, velut in suis prostantes Statuis, spectare noscantur, meritò delinquentium pœnis, elisa in Effigie, Maiestatis reuerentia instauratur. Et quoniam Philosopho teste *contrariorum eadem est ratio*, quis nisi à ratione deuius censebit, mereri supplicia Imaginum violatores, & tamen ex aduerso notam incurrere, qui præmia ferre debuerant earundem cultores?

Veniamus ad Scripturam quòdque ea Reuerentiam Sacrarum Imaginum non improbet, quemadmodum Sectarij, Locis contra Idola directis, abusi iactare audent, paucis monstremus. Præmittimus verò ante omnia, non posse nec debere, deteriori conditione, nunc esse Imagines Sacras, quàm olim cætera Inanima, ad DEVM tamen aut DIVOS aliquâ connexione relata fuerint; quæ cùm ex eâ ratione, ac Motiuo Venerationem obtinuerint, nemo Catholi-

Res inanimæ cultæ in scriptura per respectum ad Deum.

cos, censoria deinceps signet virgulâ, si eâdem intuitu Termini vltimarij impendant Iconibus, quæ Veteris Testamenti asseclæ, eodem respectu præstiterunt alijs rebus; tàm enim Nos in fidei Lumine, quàm illi sub nube degentes, omnem intrinsecam ac Physicam Excellentiam talibus detrahimus; & solâ adscititiâ ac Morali, quæ videlicet ab ijs, quos aliquo modo attingunt deriuatur Sanctis, honestari volumus. Prodeat ergò iam celebris illa, non tam opere quã Mysterio Testamenti ARCA, cui venerabundos accidisse populos, vel ipsa Psalmi testatur iussio: *Adorate* (inquiens) *scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Nec verò apud scripturæ peritos ambigitur, scabelli nomine ARCAM indigitari, cuius Propitiatorio velut insistens, oracula fundebat DEVS; huic cum Sanctitatem Propheta adscribat, & arroget, tametsi non insitam, sed aliunde, ex speciali nimirùm DEI præsentiâ extrinsece participatam, meritò in eius adorationem acclines poplites submitti iubet; quia DEVM, non solùm in se ipso immediatè coli, sed in omni eo, quod ipsum repræsentat, æquum esse nouit. Et quis cultum huiusmodi ARCÆ denegatum, nec in vsu fuisse dicet, qui vel à longè scripturas delibauit? nonnè hanc fusus humi IOSVE adorauit, dum *pronus in terram*

Arca adorata.

Psal: 96.

Iosue 7.

terram cecidit coram ARCA *fœderis Domini vſque ad veſperam, tàm ipſe quàm omnes ſenes Iſrael*; nonne eandem triumphali Pompâ, Præſultor vnâ & Protopſaltes, celeberrimi Chori DAVID circumduxit ? nonnè ignibus æternis mirabilique illo perennaturi luminis baiulo, Candelabro, MOYSES illuſtrauit? His paria cum reſpectu Imaginum præſtent Catholici, Eat rigidus è LVTHERI ſentinâ ARISTARCHVS, & Nos toruo ventilet Supercilio, quòd inanimis proſternamur Imaginibus; qui ad huiuſmodi Venerationis Actus, à pijs inanimæ pariter ARCÆ manuducimur Cultoribus. Verùm eſt in Scriptura patentius Cultæ Imaginis Exemplum, Serpens nimirùm ille, artifice manu fuſili intortus æri, ac ex ipſius DEI normâ, læſis ab ignitorum afflatu Serpentium populis, in remedium propoſitus; *quem cùm percuſſi aſpicerent* (teſtante Sacro Hiſtoriographo) *ſanabantur*: Quis enim credat, ſimplices proiecti temerè luminis obtutus, tàm ſubitam attraxiſſe Sanitatē? & non magis eleuatas, in Secreti alicuius Myſterij æſtimationem, læſorum mentes, atque hinc errante præ oculis fato, inde flammatis aculei impacto tormine, ad omnem pietatis Senſum (quemadmodum DIVVS IVSTINVS MARTYR cenſet) quô habiliores recipiendæ

Eadem Proceſſionibus & luminibus culta. 2. Regum 6. Exod: 26.

Non plus faciunt coram Imaginibus Catholici.

Serpens æneꝰ non ſine pietate & veneratione aſpectus

Teſtatur id S. Iuſtinus in Apologia 2.

gratiæ essent compositas? Certè iacta illic certissima Cultûs Imaginum rudimenta, constanter tuetur GREGORIVS 2. PAPA Epistolâ ad HERMANVM, ac ex eo ADRIANVS Cathedræ simul doctrinæque Apostolicæ Successor, dum in obtrectantes eisdem momos sic inuehitur: *Fecit* MOYSES *serpentem, & posuit in signum, & seruati sunt: ô stultitiam vetantium venerandas Imagines honorari, in quibus Seruatoris nostri Historiæ continentur! Nam si Israeliticum populum, per inspectionem serpentis, seruatum à suâ peste credimus,* CHRISTI *&* SANCTORVM *figuras contemplantes & venerantes, dubitamus nos posse seruari?*

Pariter Adrianus Papa Epistola ad Carolum Magnum

Imago Christi Agabaro missa.

Restat Tertium tuendis Imaginibus Propugnaculum, communi Christianæ vetustatis consensu munitum; Is etenim pænè dies qui Ecclesiam CHRISTO, Imagines simul Ecclesiæ peperit. Testis est Imago illa, nullo penicilli aut pigmenti adminiculo, solâ Apellem agente DIVINA CHRISTI vi laborata; quam SALVATOR appresso faciei suæ linteo efformatam, AGABARO REGI spectandi sui cupidine æstuanti, donum simul spectaculumque transmisit: Veritatem illius præter EVAGRIVM & alios, LEO Lector oculatus eiusdem Testis *in secundâ Synodo Nicænâ Act*: 5. adstruit.

De qua Euagr: lib: 4. cap: 24 Ioan: Damascen: lib: 4. de fide cap: 4.

Testis

Teſtis & alia pari artificio in Sudarium tranſmiſſa; quo dum laſſum ſub ferali Crucis trabe CHRISTVM pia VERONICE detergit, ingens obſequii pretium, receptâ quam mixtus Sanguini depinxit Sudor, Diuini vultûs Imagine reportauit. Teſtis & tertia non iam manum CHRISTI, ſed totum corpus ſecuta, quam Poſthumi vice doni Saluator mundo reliquit, dum ſeſe membris omnibus in mortuali Syndone poſt fata delineauit. Oſtentat illam effigiem hodieque Orbis Domina ROMA, hanc METROPOLIS PEDEMONTII TAVRINVM; quam ne deinceps peruicax hæreticorum rigor venerari dedignaretur, Ignis exemplo præiuit; qui depaſtus Vrbem & Templum, redactis in fauillam cæteris, Sacram Syndonem allambente duntaxat per margines flammâ ambuſtam, cæterà innocens, ac Imaginis CRISTI reuerentiâ tactus præterijt. Talibus CHRISTI ipſius auſpicijs initiata Chriſtianorum Pietas, per omnes deinde ætates, amore Imaginum efferbuit; & mox ab illato cælis Seruatore, congregati ANTIOCHIÆ Apoſtoli, quem è Magiſtri exemplo decerpſerant, edicto firmarũt Imaginum vſum; Dum abolendis ſimulachrorum quiſquiliis, Sacras effigies condito canone opponi iuſſerunt, quò Nouitia credentium Fides, inoli-

Altera in Sudario Veronices expreſſa, de qua Conſtantinus Perphyrognitus apud Liponiari Tomo 6.

Tertia impreſſa Syndoni, quæ extat & colitur Taurini.

Apoſtolorum Canon pro Imaginibus.

inolitæ Idololatriæ fæces promptius deterer et: Extat *Concilii* illius *Apostolici Canon in secundâ Synodo Nicænâ Actione Primâ* relatus huiusmodi, *Ne decipiantur saluati ob Idola, sed pingant ex aduerso Diuinam humanamq; non manufactam, impermixtam effigiem Dei veri, ac Saluatoris nostri Iesu Christi, contra Idola ac Iudæos.*

Certatum ab hinc Sacerrimâ æmulatione, & pænè ambitioso Studio, vt CHRISTI ac DEIPARÆ, eorumque quos nobilior virtus insigniit Effigies, ad religiosam sæculorum propagarentur venerationem: Ac licet, feruente in Christicolas Tyrannorum odio, rariora pietatis huius viserentur monumenta, quæ interim vrgente temporum ratione supprimi præstabat, ne vulgata inter contumelias deflagrarent; Satis tamen in fingendis & condendis ijs adhibuit artis & operis, ingeniosa veterum Deuotio; vt collapsa hodie, ac Fidei suæ symbola nauseans multorum Religio, haberet exemplum quo coërceretur, stimulum quo ad premenda, exactissimæ antiquitatis vestigia, ageretur. Ita Mulier illa diuturno Sanguinis profluuio exsucta, post duodenne Medicorum, de vitâ suâ certamen, altioris Medici CHRISTI, auxiliarem manum experta, ÆSCVLAPIO suo, donum, Imaginem eiusdem Sacrauit; & morbi curationisque memoriam

Mulier à sanguinis fluxu curata, erigit imaginẽ Christi, de qua præter Euseb: Metaph: in vita S. Stephani Iunioris cap: 15.

moriam in æs redigens, CHRISTI Statuam metallo effictam, se verò ipsam fimbriæ vestis ad repentem, Cæsareæ Philippi quam Vrbem Pameada vocant, loco publico statuit, eamque sibi visam præter alios, *Euseb: lib: 7. cap: 14.* asserit. Ita S. Lucas nondum exemptæ terris DEIPARÆ Imaginem coloribus expressit; dumque eam VIRGINI velut cum originali collaturus præsentat, probante Studium Dei genitrice obtinuit, vt noua Picturæ illi gratia, ab aspectu Prototypi augesceret, & Formæ suæ Virgo augustiorem speciem, Nicephoro attestante, inderet ac conciliaret. Idem Sanctus Christi quoque, & Apostolorum Imagines, in Tabulis digestas, memoriæ ac obseruationi posterorum transmisit; vt Parentem ac Magistros Fidei suæ, non iam vago per alienas species animo, sed velut viuos ac spirantes de Facie nosse, venerarique possent. Ita demùm Nicodemus Amorem CHRISTI etiam post fata facto professus, sicut mortuo parentauerat, sic rediuiuum in Imagine viuere, & perennare voluit; quam seu Artifex ipse, seu artem pretio mercatus efformari fecit: Eam deinde Beryti in domo cuiusdam Christiani repertam, Iudaicus furor, totâ rabiei mole impetijt: sed mox, manante ex adactis vulneribus, copiosi Sanguinis riuo castigatus, ac postea ad

S. Lucas pingit, Imaginem Deiparæ Niceph: lib: 15. cap: 14.

Item Christi & Apostolorum. Idem lib 6. cap: 16.

Nicodemus pingi curat Christi Imaginem Septima Synod: Act: 4. ex Athanasio.

veritatis cognitionem, reuocatus est. Vnde non possum hîc satis, vel demirari imperitiam Caluini Mentientis, vel indignari malitiæ eiusdem credulis sequacium turmis imponere audentis; dum Imagines, exacto demũ Quinto Sæculo Ecclesiam inuasisse, deceptusnè magis an Deceptor? impudenter blaterat: palam enim liquet, eandem Sacrarum Imaginum esse, quæ fidei ipsius fuerit, ætatem; nec vllum à datâ terris Salute, consequentibus annis, in obsequia Saluatoris coiisse credentium cætum, qui non hanc pietatis Tesseram præferre, picturæq; solatiis, mysteria fidei adumbrare gestierit. Quòd vt in Orthodoxorum gaudium, & cauillantis hæreseos frenum euidentius pateat; placuit compendio aliquorum Sanctorum Patrum, Testimonia decerpere, qui grandiores, Quinto sæculo, radiantes iam olim Iconibus Ecclesias, deditosque venerationi earum populos, fatentur.

Patres omniũ ætatũstant pro Imaginibus.

Certè Magnus ille DYONISIVS ab Areopago Nomen, ab ipso Doctore Gentium D. PAVLO, fidem adeptus, primo illo visi in Carne DEI Sæculo, vsitatas scribit Angelorum Imagines; quos iam tum ingeniosa Pictorum manus additis iuuentuti alijs figurare sueuerat; vt supergressos luteæ substantiæ molem, spiritali leuitate ferri, nec in motu ac cognitionibus, ter-

Primo sæculo S. Dyonisius lib: de cælesti Hierar: cap: 15.

reno sensuum pondere deprimi doceret. Floruit altero sæculo Tertulianus inclyto Martyri ac Præsuli Cypriano non alio quàm Magistri titulo placitus; Is vulgarem æui sui morem memorat, quo Saluator habitu Pastoris Boni, errabundam ouē humeris baiulantis, per sacros calices splendebat; eoque mox ipse exemplo ab Orthodoxis premi cœpit, posteaquam, Montani & Cataphrycum delirijs inuolutus, inter cætera anilia (*quæ honestè* PAMELIVS *Paradoxa inscripsit*) lapsos in persecutione veniæ aditu arcere institit. Tertium sæculum, Doctrinâ & fuso pro eâdem Sanguine, illustrauit S. Methodius Tyri Episcopus, Decii ac Valeriani Tyrannide, circa Annum 255 terris exactus, cælo insertus; Is, oratione secundâ de Resurrectione, apertè inquit: *Conflamus ex auro Imagines Angelorum, Principatus & Potestates, referentes eas ad laudem & gloriam Dei.*

Secundo Tertull: lib: de Pudicitia cap: 7. & 10.

Tertio S. Methodius Orat: 2. de Resurrectione.

Eiusdem sæculi finem, ac sequentis exordium, insigniit S. Syluester, Summi Pontificatûs honore sublimis; qui Imagines Saluatoris, & Petri ac Pauli Apostolorum, iam inde ab ortu Romæ nascētis Fidei efformatas, medios inter Tyrannorum fremitus accuratâ diligentiâ, (*vti* S. DAMASVS *Papa refert*) conseruauit; Ijsdemq; Constantino Magno exhibitis, stuporem simul

S. Syluester habens Imagines Apostolorum vti Damas: & Metaph: in eius vita.

& reuerentiam elicuit, quòd visos in somnis Apostolos, picturæ ingenium, ad viuum referret; & par vultuum Maiestas in tabulis, atque in fortunato nec deerrante, amicæ quietis errore radiaret: testatur id Constantinus ipse in Edicto, *Tomo primo Conciliorum* inserto. Succesit Sæculum Quartum, sublatis qui ardore inanium Numinum insanierant Principibus, pace Ecclesijs partâ florens; & cum publico fidei exercitio, in publicum sobolescentium vel maximè in optatâ libertate Imaginum affectum assurgens: tunc enim Constantinus ille, qui Primus Imperium CHRISTO mancipauit, fusum auro Agnum circumpositis hinc inde Saluatoris ac Præcursoris Ioannis, argenteis Iconibus, in loco percepti Baptismatis locauit: Lateranensi verò in Ecclesia, CHRISTI & Duodecim Apostolorum Effigies, argento illigatas, populo Romano spectandas proposuit. Nec vlla deinceps impendiis Cōstantini Sacra stetit ædes, quæ non pomposâ Imaginum serie resplenduit; obuiæ vbique Cruces, incrustati omni fronte Basilicis Diui; exstantia per parietes Religionis nostræ arcana; vt euicta tali Sacrarum Iconum obiectu, profana fictorum Numinum colluuies, quæ mundo hactenus turpiter illuserat, faciliùs vanesceret; & Sancti qui quondam morte suâ, Idola confutauerant, de ij-

Tom: I. Concil: pag: 473, edit: vltimæ.

Quarto sæculo Constantinus plurimas fieri curat, Christi & Sanctorum Imagines.

De hoc Damas: in vita Syluestri.

de ijsdem in effigie propriâ triumpharent. Firmat hanc Imaginum Constantini æuo frequentiam Eusebius tempore & familiaritate Constantino indiuiduus. Par in Sacras Imagines toto Christiano orbe studium certante omnium affectu, vt Sacratius Cultum DEO eiusq; Sanctis in suis Iconibus impenderent; qui nuper Dæmonum fascinati dolis, eosdem publicè vt amica in commune Numina, priuatim vt domesticos lares, Genialesque Deastros celebrauerant. Meminit crebrarum illo sæculo Imaginum, è ligno architectante torno sculptarum, Magnus & sui nominis ob immortalitatem gestorum adæquans Etymon S. Athanasius, easq; in honore habitas refert. Proximus ætate S. Athanasio D. Basilius Exculta simili Imaginum ornatu, Christianorum templa, memorat, & S. Gregorius Nazianzenus dignitate Episcopus, doctrinæ eminentiâ Theologus, D. Basilio æquè studij, ac sacri in solitudine otij fidissimus Comes: adhibitas suo tempore in sacris ædibus picturas & statuas, asserit oratione decimâ nonâ in laudem Patris defuncti.

Euseb: lib: 3. vitæ Constantini cap: 48. & alibi.

Easdem tuentur Sancti Patres.

S. Athanas: in quæstion: ad Antiochum cap: 18.
S. Basilius Homil: Barlaam & homil: in 40. Martyres
S. Gregorius Nazian: orat: 19. in laudem Patris & epist: 49. ad Olatű.

Nimius essem, si per singula Doctorum illius ætatis euagatus testimonia, vniuersos ad tutamen Imaginum citarem; Sufficiant notiores aliquot, quarti sæculi terminum, vel quinti ini-

tia, viuendo complexi, è quibus agmen ducit D. Ambrosius S. Basilii contemporaneus; qui Sanctos, Geruasium & Protasium Martyres, ad Iudæorum busta hactenus abditos, & in somnis honestioris sepulturæ officium requirentes, eò faciliùs cognouit, quò Imaginibus suis quæ tunc publicæ venerationi prostabant, oris specie, Corporisque habitu, concolores aduertit. Eâdem ætate quâ D. Ambrosius per Italiam fulsit; S. Augustinus per Africam, illo Parente, CHRISTO Ecclesiæque genitus. Is adeò tunc suetum ac florentem Imaginum vsum memorat, vt etiam fabulis Gentilium, insultare fidei nostræ conantium, ansam dederit; commenti enim sunt falsas CHRISTI Domini, ad D. Petrum ac Paulum Epistolas, non alio vt ait D. Augustinus fingendi illicio, quàm quòd Apostolos istos, pluribus locis CHRISTO adiunctos, per picturas simul radiare cernerent. Paulò annis grandior, magnâ tamen senilis vitæ parte, D. Augustino Synchronus S. Hieronymus, ab eodem licet, & Africa totis interfusi oceani fluctibus diuisus, in eandem nihilominus Imaginum conspirat tutelam; easque in Sacris Palestinæ locis, satis viguisse scribit, dum Romanæ vitam texens S. Paulæ, hæc de eius notâ pietate inquit: *Hierosolymis omnia loca circumiuit, prostrataque ante Crucem quasi pen-*

Ambros: ser: de SS. Geruasio & Protasio.

S. Aug: lib: 1. de consensu Euangel: cap: 10.

S. Hieron: Epist: 27. ad Eustochium cap: 3.

si pendentem Dominum adorabat. Sisterem hîc, nisi ingens piaculum censerem, silentio inuoluere Ioannem Antiochenum, ab aureo Eloquentiæ torrente Chrysostomi Nomen promeritum; ergò post visam cum D. Ambrosio Italiam, post relecta Hipponis & Africæ littora, liustratamque ad cunas Saluatoris, D. Hieronymi solitudinem, iaciamus anchoras in Hellesponti sinu: Illic ipso Quinti sæculi Exordio, doctrinæ copiâ, facundi oris gratiâ attinebat attonabatque Regiam Constantini Sedem S. Chrysostomus, qui præter honorificam sæpius Imaginum, præcipuè in Encomio S. Meletii habitam mentionem, exemplo ipse suo, ad earum venerationem præiuit, dum effigiem D. PAVLI (*vt Auctor vitæ eius testatur*) velut cubiculi præsidem, sui Tutelarem circumtulit.

Citatur is Auctor à S. Ioanne Damasc: orat: 1.

Atque hoc tanto, & tam consono Antiquitatis consensu, stabilita Catholica in Imagines propensio; ridet nouellas delirantis hæreseos sannas; & impactos sine vulnere mordentium, temnit aculeos: Sibilent vt lubet tortuosis emissi latebris Colubri, venenatamque Sacris Imaginibus afflare gestiant pernitiem; stabunt illæ tanto vetustatis sustentaculo, tanto promiscuæ Pietatis securæ munimento: & quòd olim de veterum Ecclesijs, magno Septimæ Synodi

nodi recitatum plausu, asseruit D. Isidorus Pelusita, in Orthodoxis, ad vsque consummationem sæculi vigebit Templis, *vt nulla sit Templi ratio, quòd non coronet Imago.*

CAPVT II.

De Cultu Imaginum miraculis approbato; & eadem occasione, de Veritate vel Apparētiâ miraculorū, Discursus.

EXtulimus hactenus Trinum tuendis Imaginibus Propugnaculum, & næ quâ Insidiatrix, ad earum ruinam penetrare posset Hæresis, Rationis momentis, Scripturæ testimoniis, Antiquitatis Christianæ reuerentiâ, easdem incinximus; imponat tutamini illarum, supremā manum vis Diuina; quæ cùm toties portentoso curationum genere Cultum illarum solidârit, optimè Quarto hoc è miraculis ducto, cingentur propugnaculo; vt Ecclesia militans Triumphanti conformis, ipsa quoque in hoc ordinatissimo firmata hæreat Quadro. Scio refugere maximè Heterodoxos, ipsum etiam Miraculorum Nomen; hîc nimirùm *Lydius lapis est, quo adulterinæ Religionis moneta, dum probatur excutitur;* Sed velit nolit Hæresis, obtorto etiam collo trahetur ad hanc exploranda amussim, ad quam

Apocal: 21. dicitur. Ciuitas in quadro posita est.

Hæretici miracula reprobant quia facere nequeunt.

quam vel Increata Sapientia, suam exigi probarique voluit doctrinam, *Si mihi* (inquiens) *non vultis credere, operibus credite.* Nouit enimuero sæpius humana subtilitas, Rationibus in rationem armari: Scripturis in contraria distractis scripturas infringere; & contra totam consonæ Antiquitatis phalangem, ementitæ antiquitatis speciem cogere & ordinare; Verùm vbi vis Miraculorum emicuit, patent Nycterides; & ad tantum lumen, malè sana læsi luminis palpitat fatiscitque acies, ac dolus pellucet tandem. Vnde non immeritò CHRISTVS vltimum doctrinæ suæ examen, ad normam Signorum reuocat; & his Iudicibus de toto tenore sparsi Euangelij pronunciantibus, indubiam fidem adhiberi vult; *Opera quæ ego facio* (ait) *hæc testimonium perhibent de me*: Immò omnem, quæ postmodum Iudæos inuoluit pœnam, refractario Miraculorum contemptui palam imputat, dum repudiatæ veritatis scelus, ab euidentiâ signorum maximè creuisse asserit; minore alias futuro, vel nullo doctrinam suam nauseantium reatu, nisi ad tantam Prodigiorum lucem, obliquus eorundem erga veritatem animus euinceretur; *Si* (aiebat) *opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt & oderunt me.* Quòd si tan-

Ioan: 10.

Christus doctrinam suam signis adstruit.

Ioan: 10.

Et Iudæos quia his accedentibus non crederent arguit.

Ioan: 15.

tùm Auctoritatis Miraculis tribuit Saluator, vt illorum potestati, Doctrinæ suæ Infallibilitatem, permiserit; illorum calculo reos Incredulitatis argui, vel absolui voluerit; patet certissimam in adstruendis dogmatibus miraculorum vim esse, & quæ, ad incerta aut dubia, nullatenus detorqueri possit: repugnat nimirùm Diuinæ bonitati, permittere vt veritate signorum ad infirmandam veritatem, aliquis armetur. Vnde si quando ex secreti ordinatione consilij, eum *qui mendax est ab initio, & in veritate non stetit*, præstigiis quibusdam malè credulos decipere sinit; facilè tamen, quòd illa quæ arte Dæmonis fiunt, quanquam miranda sint, Miracula non sint, ex ipso talium tenore ac modo dignosci facit. Verùm vt omnis erroris, qui hinc emergere sueuit, intercidatur occasio, nec verorum æmulatione signorum, ementita apud ignaros fidem occupent; quia sæpè *Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis*, & simiam Diuinæ agens Potentiæ, in admiranda eius opera, audacissimâ simulatione erepit; paucis Naturam Miraculi aperire placuit, quâ cognitâ, ad indagandum veri Putatitijque Miraculi discrimen, manuducamur. Est igitur Miraculum propriè sumptum, ex communi sanæ Theologiæ sensu, *Opus illud, quod omnes Naturæ creatæ supergressum vires, so-*

Deus non permittit vera miracula ad probationem falsi

Ioann: 8.

2. Corith: 11.

Miraculũ est opus quod omnes naturæ creatæ vires superat.

lius

lius Dei effectricem manum, poscit ac exhibet; vel vt verbis D. THOMÆ vtar, *Est aliquid arduum & insolitum, præter facultatem naturæ & spem admirantis proueniens.* Vnde quæ naturali, vel arte ordinato causarum contextu peraguntur, tametsi in mirabiles erumpant effectus, Miraculi tamen nomen, de rigore non merentur; quia intra limitatos, creatæ virtutis defixa, terminos, ab altioris ordinis potentiâ, nihil mutuant. Ita dum Architas Tarentinus Ligneam Columbam imitante viuas volatu plaudere; dum Archimedes, digesta in suo globo Sidera, verum cælum mentiri, æmuloque astris rotatu decurrere; Albertus Magnus Caput æneum in humanas voces, labra torquere; Hiarbas Indus, Fictiles ex ferro Aulicos, per triclinia oberrare, decumbentibusque conuiuis, ministeria impendere docuit: dum hodie Medici, diligenti rerum ac proprietatum vestigatione, & misturâ, stupenda insanabilibus morbis Antidota, fingunt & proferunt; Dum Chymistæ recocta à crassiori concretione metalla, auri argentique fulgore induunt; Circumforanei deniq; Ludiones flexu & agilitate membrorum, inusitatam rerum Metamorphosim parturiunt; tametsi causarum inscios, oblatâ insperatâ rerum imagine defigant in stuporem, patratores tamen

S. Tho: 1. parte, qu: 105. art: 7.

Quæ causas Physicas habent, licet nobis occultas, non sunt miracula.

Miraculorum, nequaquam audient; Hæc enim omnia, sensum licet captumque spectantium effugiant, ex legitimis naturæ principijs, debito inter se nexu & applicatione, combinatis, ortum ducunt. Rectè ille mente corporeq; ANGELVS, ad rationem Miraculi tria requirit, Vt nimirùm *Opus sit arduum, & omnem virtutem Naturæ creatæ Agentis, altitudine effectûs transscendat*; deinde *vt totam naturæ spem præuertat*, næ scilicet illa ad talem actum, ordinem naturalem dicat; ac denique *vt consuetum faciendi modum superet, ac pænè instantaneo partu, non per ordinarios temporum anfractus, transigatur.*

S. Tho: vbi supra tria requirit ad rationē veri miraculi.

Dæmones vel vtuntur causis naturalibus ad sua opera.

Ex his de veritate & ratione Miraculi propositis, liquet facilè, quonam loco censeri debeant, nonnulla Dæmonum per se, vel sequaces pacto sibi deuinctos, prodigiosè facta ? hæc enim si intra creatæ virtutis orbitam hæreant, nec plus in Substantiâ vel modo operis venditent, quàm excitata debito vsu, vel temperamēto, naturæ semina ferre, producereque possunt. Verè quidem facta iudicari, non tamen ad veri Miraculi eminentiam, admitti debent; Sin autem nullum in naturâ tantæ potestatis extet vestigium, nulla Causarum Physicarum series, ordinariè directa, quæ surrigi ad tantos effectus valeat; totus ille Magnalium apparatus Scenicus

Vel si hæ deficiant falsos effectus producunt & apparentes.

cus esse, & apparenti comptâque in ostentum specie, niti censeatur. Nec verò cuiquam dubium est, posse Dæmones creatarum peritiâ, & vario moderamine causarum, in tantum attolli, vt plus aliquid per decerptas hinc inde rerum vires, ac proprietates producant, quàm solitarium & coagmentationis similis rude Naturæ ingenium, efficere elimareque valeret; nam cum Teste D. DYONISIO *Areopagitâ. Naturalia in Dæmonibus etiam post pœnam, non sunt imminuta,* & hæc olim ipsis liberalissimâ Conditoris manu, plurima ac excellentissima collata fuerint; patet satis, Perspicaciam Dæmonum tot inditis sibi dotibus succinctam, insuper tam multiplici experientiâ, rerumque cognitione imbutam, in nouas stupendorum effectuum artes sufficere. Duplici autem illi potissimum armantur subsidio, vt mirâ fertilitate insuetos pariant effectus: Iuuat primùm illos, Naturæ spiritualis agilitas, quâ longissima spatia momentis emetiri, orbem insuperabili leuitate circumuolare, & motu citissimo tum ipsi agi, tum res alias præ se agere, deferreque valent. *Momento* (inquiebat Tertullianus) *vbique sunt, totus orbis illis vnus locus est; quid vbiq; agatur, tam facilè sciunt, quàm enunciant; velocitas, Diuinitas creditur, quia Substantia ignoratur.* Iuuat deinde penitissima

Mirabilia faciunt per mot9 velocitatem.

Tertull: in Apologetico.

Et naturalem peritiam & applicationem.

tiſsima Naturæ cognitio, partim in concreatis ſpeciebus, primitus impreſſa, partim longâ rerum obſeruatione lecta, & ſagaci deinde ad vſus proprios deriuamento tranſlata. Quis enim ignorat, quantas naturæ Molitor DEVS vires creaturis adſperſerit? quàm efficaci igne & influxu ſidera? quàm variâ medicãdi dote, ac dynami herbas? quàm magneticâ trahendi alterandique virtute lapides, imprægnârit? Hæc omnia Dæmones, ſicuti ſubtiliſsimi intellectûs beneficio norunt ac penetrant, ita velocitatis innatæ miniſterio, ociſsimè conferunt & compilant; atque ita ſociatâ motûs & periti vsûs ope, dum applicando vt aiunt Actiua Paſsiuis, inſitas rebus vires debitâ temperie intendunt, ſuas oſtentant ac exerunt. Hac Arte Magorum Ægypti Virgas, ſpectante PHARAONE in Serpentium ſpeciem tranſdiderunt, vel inductis celeriter diſpoſitionibus, per agentia ad generandos Serpentes efficaciſsima, veris anguium formis eaſdem animando; vel ſublatis latenter virgis, mirâ celeritate ſerpentes mole & quantitate virgis pares, ante ſpectantium oculos iaciendo. Eadem arte coactis in fulmina nubibus, raptâque in ſublime exhalatione pingui & accensâ, IOBI pecudes igni noxio afflatas, corruperunt; & paulò poſt compreſſo violenter aëre, nouum

Verè produxerunt ſerpentes in Ægypto, applicando Actiua Paſsiuis.

Et fulmina ac ventos contra Iobi familiam

Æoli

Æoli antrum in luctus Sancti aperuerunt; concitatoque validissimo turbine, Conuiuantes, Natos, elisarum ruinâ ædium obruerunt. Hac demùm arte, etiamnum plurimos solâ Magici carminis gestatione securos, vulneri & armis imperuios reddunt; non quòd Chalybeum quendam vigorem membris afflent, seu vim aliquam seruandi â læsione, notis illis characteribusque imprimant; sed quòd ex pacto tacitè cum talibus inito, excussa tela ingestosque ictus, næ corpus deferentis perstringant, in superficie corporis inuisibiliter ipsi suspendant. Cæterùm hæc omnia, quia naturalium nexu nituntur causarũ, & nullo altioris potentiæ sustentaculo, per solas virtutes rebus creatis inditas, earumque secretam aguntur modificationem; idcircò è Miraculi propriè dicti serie excludenda, inter naturæ fætus tametsi admiratione dignos, numeranda veniunt. Quòd si aliquando Dæmones tentent, ac æmulentur ea, quæ naturæ vim excedunt, nec vllus in creatis, ac earum qualitatibus, appareat ad similes effectus, ordo, habitudo, aut connexio; tunc illudere veteratoriâ calliditate sensibus, vel adulterinum pro vero partum supponere censendi sunt, palam testante D. THOMA; quòd *illæ transmutationes rerum corporalium, quæ non possunt virtute naturæ fieri, nullo modo*

Per Characteres seruant à vulnere, rebũdendo ictus.

In effectibus causas naturales non habentibus recurrũt ad præstigias.

S. Tho: 1. parte qu: 114. Artic: 4. ad 2dũ.

modo operatione Dæmonum perfici possunt, secundùm rei veritatem: & si quando tale quid operatione Dæmonis fieri videtur, hoc non est secundùm rei veritatem, sed secundùm apparentiam tantùm. Duobus autem maximè in operibus, quia succũbit potestas Dæmonis, ad friuolas dementandi sensus artes, vel vaferrimam similium expressionem accingitur. Primò cum cassum animæ corpus, vitæ restituere conatur; deinde cum abrupta corpori membra reinserere, vitalique operandi vigore fæcundare, aut denegata à Naturâ sensuum organa supplere nititur: nam vtrumque hoc, sicut omnem naturæ facultatem & ingenium transcendit; ita nec quouis Dæmonum astu, connisu, ac docilitate, præterquam in speciem ad fascinandos visus, fieri potest.

Motuũm resuscitare non possunt.

Ac in primis certum est, deesse toti naturæ opportuna suscitandis mortuis remedia, & vitæ humanæ momenta, eius solius sidere Arbitrio, qui D. IOANNE testante *Habet claues mortis & inferni*: nam licet credula Antiquitas vulgarit, Æsculapium retractâ herbis an incantationibus, mortui cuiusdam animâ, eundem ad vitam reuocasse; id tamen siue suetâ æuo illi mentiendi licentiâ effectum, seu Magici carminis adminiculo, eo quo mox dicetur ritu, administro Dæmone peractum est. Vnde quandoquidem nullam in tota creatorum Agentium

Quia nec vires naturæ.

Apocal: 1.

ratione

ratione virtutem, mortuis animandis proportionatam, quâ ad insanam DEI æmulationem abuti possent, Dæmones reperiunt; idcircò destituti hoc naturæ fulcro, Sphæram actiuitatis suæ transsilire, & vlterius extendere nequeunt. Et suffragatur veritati huic rationis euidentia: nam præter receptum Aristotelis Axioma, *à Priuatione ad Habitum non dari regressum* asserentis, constat tam creationem animæ, prærequirere necessarias in embrio dispositiones, (siquidem eodem Aristotele teste, Actus Actiuorum sunt in patiente prædisposito 2. *de Anima*) quam nexum ac vnionem eiusdem, cum corpore Organizato, ab ijsdem pendere dispositionibus; & ad vitæ officia obeunda, multis quidem causis, maximè tamen Humidi Primigenij puritate, & Spirituum vitalium egere ope; qui è corde prognati, ad varias tum sensuum, tum potentiarum motiuarum functiones destinantur. Quæ omnia posteaquam intercidente fato, in mortuali cinere subsederint, nullâ iam vi & arte (iuxta communiorem sententiam) reaccendi valent; ac consequenter deficientibus hisce dispositionibus, refundi corporibus animæ, post inita semel cum ijsdem diuortia non possunt. Immò tametsi benignior aliquis, ampliando Spiritualis Naturæ Priuilegia, concederet Dæmonibus, absumptum

Anima non vnitur corpori sine debitis dispositionibus.

Has nec natura nec Dæmon mortuo corpori reinducere potest.

radicale humidum posse eorum operâ refoueri, extinctosque vitales Spiritus felici halitu iterum corporibus aspirari; nondum tamen euinceret, ad reddendam mortuis vitam, eosdem eleuari: quia positis vltimis dispositionibus, nec nouam animam creare potest Dæmon (hæc enim solius DEI opificem agnoscit manum) nec priorem, corpus ita dispositum necessariò exigit: quam posset quidem Dæmon, præsertim si iusto DEI iudicio, examini ac torturæ suæ addictam tenet, ad reassumendum corpus eodem DEO permittente cogere; sed tunc illa anima, præter simplex baiulandæ luteæ sarcinæ obsequium, non posset corpus suum (cui duntaxat assisteret) informare, nec actiones in eodem vitales verè exercere.

Ac dato non concesso quod posset, mortuum non viuificaret.

Nec curamus productos toties à Dæmonibus, in spectacula mortuos, viuentium habitu & actu; nam tunc vel Sophisticâ imitatione callidissimi agyrtæ, vultus & gestus mortuorum, densatis ex aëre corporibus effinxerunt; vel eorundem inuolando corpora, ad normam viuentium, conformi vt quondam faciebat anima regimine, eadem librârunt. Patuit id in fictitio illo homine, (de quo in vita S. PATRICII Hybernorum Apostoli habetur,) cuius corpore multis annis abusus Dæmon, factus eius-

Mortui à Dæmone suscitati, vel fuêre Phantasmata.

dem

dem vice animæ inquilinus, tandem agnoscête Impostorem ac fugante S. Episcopo, vmbratilis homo in cineres repente disperiit; cadauerque iam putridum, & carie exesum, quàmdiu verâ animâ caruerit, ostendit. Patuit & in alio Principis viri (prout Cæsarius Eisterbacensis meminit) figmento; quem Dæmon in assumpto corpore post fata referens, anno integro insciorum credulitati illusit; donec discedens inde, & tabo sanieque corruptum linquens corpus, quis possessor intus latuerit? velut subducto in scenâ sipario docuit. Haud absimilis non longè ante nostra sæcula contigit simulatio, arbitrio & incantamentis celebris illius Magi Cornelii Agrippæ peracta: cùm enim absente eodem Louanii, iuuenis quidam noxiâ familiaritate Agrippæ insertus, & vltra honestam literarum auiditatem, vetitarum artium desiderio ardescens, impetrasset ab vxore Magi, vt Musæum illius visere lustrareq; posset; incidit forte in librum adiurationes & incantandi ritus præscribentem; quem dum incautus versat ac legit, ecce ad ianuam vocatus sine voluntate legentis adest Genius, & quem sese ad vsum infernis sedibus excierit, turbulentâ increpatione requirit; moxque attonitum informis obiectu formæ, nec respondere valentem, oblisis

Vel Dæmones in eorum corporibus quod probatur exẽplis.

Cæsarius lib. 12. mirac: cap: 3.

De hoc Martin: Debrius lib: 2. disquis: Magic: quæs. 29. Sect: 1.

faucibus præfocat. Reuertebatur domum Agrippa, cum super pinnaculo imbricibusque eiusdem fusos Dæmones, insueta tripudia agitare videt; atque vbi tantæ lætitiæ causam, adstrictis diro carmine Spiritibus cognouit, eorundem carminum vi homicidam Dæmonem corpori occisi illigat, & turbæ adolescentum immistum, repræsentare Iuuenis extincti personam iubet. Ita Dæmon foro & publico magnificè illatus, vbi aliquamdiu cadauer quod ipse fecerat circumtulit, repentino diffugio deserens, tũc quidem subitaneæ mortis opinionem fecit; sed mox manentibus strangulationis vestigiis, & re à consciis detectâ, quis Personatum iuuenem egerit? in vulgus manauit. Ex his & allatis supra rationibus constat, nullâ vi ac efficaciâ Dæmonum, mortuos verè animari; sed vel obiectu, compositæ ad exemplar viuentis speciei, oculos tuentium perstringi: vel subeunte corpus ipso Dæmone, ad vitæ exercitia Mimum hunc sinuari.

Dæmones mẽbra resecta nequeunt vitaliter reunire.

Quòd autem de totius corporis, semel vitâ orbati, animatione diximus, id etiam procedit in membris ac partibus, à corpore & eiusdem animæ fomento totaliter diuulsis: nam hæc

Ratio.

cum desinente in eis animâ, verè mortua sint, licet pacto aliquo & commento Dæmonis, corpori as-

ri assuerentur; tantâ tamen Spirituum vbertate, qui secundum Galenum *sunt exhalationes quædam ex benigno sanguine procedentes, operationibus animæ subseruire natæ*, neutiquam donari possent, quantâ ad attrahendam rursus animam, vitæque munia obeunda sufficeret. A fortiori deneganda est Dæmonibus efficacia, quâ deficientia, per impeditam naturæ in operando vim, sensuum organa, supplere aptareque possent; horum enim structura, cum è seminarijs rationibus ortum ducat, & illæ iam circa primam formationem, dissipatâ germinandi vi fuerint corruptæ; consequens est, sublato hoc vnico fabricandorum organorum naturali medio, Dæmones (qui nonnisi Physicarum applicatione causarum, in miros effectus erumpunt) ad eorum formationem eniti non posse. Vnde cum SALVATOR olim cæcum, à matris vtero luminibus captum, in videndi possessionem misisset; Iudæorum conciliabulum, alioquin opera Christi, Dæmonum ministerio opprobrare solitum, quia prodigium illud terminos naturæ, pariter & Dæmonum sub eiusdem naturæ velamine, vires suas venditantium transgredi senserunt; facilius suppositam esse personam pro persona, mutatumque ex condicto hominem, quàm Dæmonis factum, crediderunt; Et benè cæcus iam plus

Galen: lib: 6. de vsu part:

Item organa sensuum á natura negata formare.

Ratio huius.

intra, quàm caduci solis lumen exterius videns, in Diuinitatis CHRISTI sensum Persecutores eiusdem trahere nititur, illo maximè argumento, *quia à sæculo non est auditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati.*

Summum miraculum fuit restitutio visꝰ & organorum cæco nato. Ioan: 9.

Sed iam tandem post deductam Dæmonũ in agendo vim, verorumque aut fuco oblitorum discrimen miraculorum, ad Imagines quarum causa in hanc descendimus arenam, reuertamur. Has cum Diuina potentia verissimis miraculis, quæ omnem excedunt naturalium mediorum energiam, omnem effugiunt imposturæ ac præstigij suspicionem, toties illustrârit, & hucusque illustret; quis approbatum euidentibus DEI testimoniis Imaginum cultum, stomachabundâ vesaniâ nauseare? vel in Fauores Numinis ac portenta ad Imagines sacras exhibita, censorios ictus distringere, versipellique interpretatione eadem sugillare præsumet? Quantos mortuos, ad conspectum Imaginum, raptrix Libitina, vitæ ac mundo refudit? quot cæcos, absumpto inaniter medentium conatu, medicaminum virtute, Naturæ & artis insufficientiam satis arguentes, Cultus Imaginum, ad hauriendam earundem ac totius Orbis speciem euexit? Quàm multos, toto corpore, membrisque omnibus resolutos, ac præter tenuem halitum ante

Ad Imagines fiunt vera miracula.

Quia mortui verè resurgũt.

Cæci illuminantur.

mortem præmortuos, nouo Spirituum vigore inspersit? Testis est Imago illa CHRISTI non manu facta Edesseno Dynastæ Agabaro transmissa; quæ Thesauro quouis Edessenis potior, & sanctiore quàm olim vellus aureũ Colchis, aut fabulosi Hesperidũ Horti curâ asseruata, non modò Vrbẽ ab hostibus circumclusam, nullo aliũde apparẽte subsidio, (prout refert Euagri⁹,) mirabiliter periculo exemit; non modò de innumero Persarum Exercitu, ante aciem à Philippico Mauritii Cæsaris Duce prolata, inauditam victoriam, concisis paruâ manu tot hostium legionibus pepererit; verùm etiam dum Anno 945. Constantinopolim summâ effusæ in venerationem Vrbis lætitiâ inueheretur, insuetis prodigiis ac stupendâ desperatorum medela, (quam fusè Constantinus Porphyrogenitus persequitur) effulsit. Testis alia Hæmorrhoissæ munere ac sumptu, in monumentum curationis CHRISTI, æri illita statua; ad cuius Basim ignoti generis herba tot sæculis pullulauit; quæ sensim succrescens, posteaquam verticem ad vestis CHRISTI fimbriam extulit, quandam de pede repræsentantis statuæ, repræsentati virtutem attraxit; quam deinde ad pellendos morbos, naturæ & artis solertiam deridere solitos, liberali medicamine deriuauit. Testis & illa, curâ Nicodemi ad mensuram SALVATO-

Exempla veterа miraculorum ad Imagines facta.

Eurgr. lib. 4. cap. 16.

Cedrenus in Mauritio.

Const. Porphyr. orat. ap. Metaphr. 16. August.

VATORIS effecta, quam dum insana Iudæorum rabies Beryti, pluribus ingestis vulneribus,) quæ olim auorum furor CHRISTO ipsi inflixerat,) per hanc tormentorum innouationem discerpit; copiosum sanguinem velut impactos sentiret ictus ebullijt: eoque mox sanguine perunctos ægros ad sanitatem, rei nouitate ac miraculo motos Iudæos, ad saniorem mentem & fidem reduxit. Testis Imago Deiparæ, artificem D. LVCÆ manum experta, quæ à *Gregorio Magno* solenni pompâ per Vrbem circumlata, grassantem pestiferam luem Romæ compresit; & quâ per compita duceretur, velut terga dantem contagionem, metu & reuerentiâ obiectæ in specie suâ cœli (prout tunc Angeli cecinerunt) Reginæ effugauit. Quid memorem Imaginem illam Virginis Matris? ante quam prouolutus D. BASILIVS, dum furentem Iuliani Tyrannidem compesci, surrectosq; in Ecclesiæ perniciem fluctus, optatæ quietis malacia, componi postulat; ecce repente ad pictum Virgini *S. Mercurium Martyrem* caligine contegi, ex oculisque subduci, ac paullò post minaci facie scintillantem, hastam cruore tinctam referre videt; eoque pacto, tum preces suas exauditas. tum sublatum iusta Numinis vindictâ Apostatam *Helladio Tiaræ Cæsariensis Successore referente* cognoscit. Quid

Athanas: & ex eo 7. Synod: Act: 4.

Sigonius de Regno Italiæ.

Hellad: S. Basilij Successor. in vita eius.

alteram eiusdem Virginis memorem Iconem *D. Ioanni Damasceno* magno Imaginum vindici, in amoribus habitam? quæ, manum eiusdem, id agente fraudis Architecto *Leone Isauro*, iubente verò credulo Saracenorum Principe resectam, portentoso & nusquam viso medendi genere, trunco corpori restituit, ac in vsus pristinos coàlescere & valere fecit.

IoanPatriarcha Hierosol: in vita Damasceni.

Verùm satis per externa errauimus, & in anteactas delapsi ætates, à veteranâ Christiani Orbis canitie tutamen Imaginum quæsiuimus; Sunt & nobis domi paria ad defendendas Imagines arma; sunt lapsa cœlo Ancilia, quæ *Regnum Poloniæ* simul ac Imaginum cultum, secretis cœli muniunt fauoribus Quem obsecro latet, per gentes & populos clara *Imaginis Claromontanæ* Gloria, incorrupto beneficiorum tractu, sui reuerentiam, Virginis potentiam ad omnes deriuans? hæc (vt ex innumeris portentis vnum delibem.) Tres simul *Miseri Lanionis Lublinensis* domesticos, quemadmodum sanguinis, ita coniunctæ mortis lege vinctos, nempe filiolum bimum à fraterculo Patris exercitia imitante confossum; & hunc ipsum ludicrum fratricidam, per errorem Matris, fornacis flammâ absumptum; ac deniqúe Matrem inconsiderato Mariti furore in fata coactam; posteaquam per

Exempla Patria ad idem.

Ad imaginem Częstochouiensem tres simul mortui suscitantur.

tot terrarum ſpatia, quæ *Częſtochouiam* & *Lublinum* interiacent, ad *Imaginem Deiparæ* carpento deuecti expoſitique ſunt, mortis vinculis exſoluit; lætoſque & in DEI ac DEIPARÆ Encomia vocales, vitæ, Patri, Coniugi reſtituit. Quò non deuenit aliarum eiuſdem Deiparæ imaginum, *Cracouień in Arenis*, *Leopolień* ad Eccleſiam Cathedralem, *Tuchouień*, *Myśleniceń*, *Bochneń*, *Caluarień* fama, factis & oſtentis cognita? ac in ſtuporem venerationemque gratantes populos, efficaciori quàm olim *Gallici Herculis* Beneficiorum catenâ trahens. Inter has gratiarum copiâ, populorum frequentiâ nobilitatas Imagines, principem à *Claromontana* locum obtinet *Imago DEIPARÆ Zdźieſʒouień*; Maioris *Poloniæ* Decus, vtriuſque præſidium, *Borcenſis* Oppidi ſolatium, Operis præſentis Operæque meæ ſcopus; quam à multis retro annis, tot & tam euidentibus DEVS illuſtrauit miraculis; vt ſi illûc vel ipſa Magorum Ægypti colluuies, orco excita conflueret, idem Imagini *Zdźieſʒouień* quòd olim Moyſi, acclamaret, *Digitus Dei hic eſt*. Hæc prodigia ex authenticis archiuij Zdźieſzouienſis ſcriptis ac Teſtimonijs deprompta, priuſquam ad gloriam Dei, (qui in ſanctis mirabilis, in Matre omnem ſuperat admirationem,) Deiparæque honorem, & fidelium percenſeam conſolationem,

Exodi 8.

tionem; placuit pauca, de origine progressu, ac ipsa etiam Imaginis specie, ac Symetriâ præmittere.

CAPVT III.

De Origine & Antiquitate Imaginis Zdźieszouiensis, ac progressu & augmento cultus eiusdem, tum de Effigie ipsa, ac Forma pictæ DEIPARÆ.

EST in eo Regni Sarmatici tractu, qui Maior Polonia nuncupatur, locus Ciuitate quondã sibi cognomini insignis; nunc eâdem flammis absumptâ, Denominationem duntaxat antiquam retinens, *Zdźieß* dictus; è regione oppidi *Borcensis*, cis Torrentem *Pogona*, patentibus vndique & in latissimam planitiem proiectis campis, conspicuus; cœlo amæno, nec vllâ grauioris àëris intemperie, asperato. Ominosum loci nomen, & veluti quodam præsagio futurorum inditum aduertit & notauit A. R. Stephanus Damalewicz, S. T. Doctor, eodem capite fusius memorandus; vt potè quòd vernaculâ linguâ à subterfugio deductum, fiduciam erigendi illîc ad miserorum suf-

Olim fuit Ciuitas Zdżiesz nomine.

Nominis Zdżiesz Nomeclatura fausta.

fugia & receptacula Asyli, tacitè ingeneret: nam cum Polonico Idiomate Zeyść siue zniść subterfugere sonet; si quis Latiæ deriuandarum vocum Methodo insistere velit, facilè Zdziesz Cognomen subterfugij significatione, quò iram Numinis declinantes confluant, honestabit. Et certè Nomenclaturæ suæ consonam Virgo Mater virtutem loco indidit, dum communem refugij Ciuitatem Israeliticis Vrbibus longè meliorem, in solatia miserorum aperuit: illûc enim non iam casualis homicidij rei, vt quondam in figura, verùm quâuis spontaneorum criminum mole prægrauati, si quando refugiunt, Propitiante Filium Matre, perennes Salui Conductûs literas consequuntur. Olim dum Ciuitas superstructa opibus & gloriâ incresceret, Hæredes eiusdem Titulo & Honore Principum splenduêre, vti constat ex Cenotaphio in Ecclesia Parochiali Plesouiensi erecto, in quo hæc leguntur, *Hic iacet Principissa Zdźiessouiensis:* ast vbi circa Annum Domini 1423 correpta flammis ciuitas, cum omnibus ædificijs in cinere & fauillâ desedit; abolito abhinc Mitratæ Eminentiæ fulgore, è Ciuitate quoque præter solam nominis memoriam loco hærentem, nihil residuum mansit: sed cum Incolæ nouo libertatum incremento (de quo fusius Priuilegium Anno 1423. Oppido Borcensi datum

Vt pote refugium sonans.

Hæredes in Zdziesz Principes.

tum obloquitur) ad instaurandam Ciuitatem excitarentur, occupatâ per eosdem vicinâ areâ vix tribus inde stadijs distante, Oppidum Borek amplâ ædium structurâ, velut de Manubijs prioris Ciuitatis surrexit.

Ciuitas hæc in Oppidum Borek translata.

Fuerat in ea Ciuitate rebus florentibus Ecclesia in honorem Deiparæ condita, præter sueta Templis Catholicorum ornamenta, duabus egregij operis Imaginibus ditata: quæ quoniam iam inde tacito instinctu, magnam sui venerationem animis tuentium inseuerant, idcirco populantibus circum omnia flammis, curâ & labore inquilinorum operosè subductæ, ad nostrã ætatem deuenerũt: è quibus vna est Imago hæc, cui noster ad præsens laborat calamus, in tabulâ coloribus expressa, quæ Virginem paruuli filioli in sinistrâ manu baiulam repræsentat: Altera opere statuario, eandem Virginem mœsto habitu fatis Filij attonitam, eundemq́ue genibus circumferentem exhibet. Atque hæ Imagines extinctæ Ciuitati superstites, posteaquam eadem cum toto quem flamma præterijt censu, in oppidum Borek immigrauit, ac præterea Ius Parochiæ legitimâ translatione ad Ecclesiam Borcensem transijt, Coloniam tamen vertere noluêre; sed pristinarum sedium tenaces, tametsi sæpius (vti fama fert) in aliâ æquè honestâ statione locaren-

Imago B. V. antiquitus in veneratione habita.

Translata ad locũm suum reuertitur.

carentur, notas tamen ſemper domos, dilectamque ſedem, occulto Angelorum miniſterio repetiêre: Vnde ligneo ibidem exſtructo Templo, Altaribus inſertæ ac decoratæ, ad noſtra vſque tempora poſſeſsionem ſemel capti loci continuauêre. Illud de Templi huius ſtructura ſub iuramento depoſuit admiratione dignum, vir grãdæuus, & ætate memoriâque integrum fermè ſæculum complexus Albertus Lizacus; inſtituto rite ex Commiſsione Loci Ordinarij Examine, ad Iudicium RR. DD. Thomæ Coſtinouij & Nicolai Zerkouij Theologorum, in præſentia R. Adami Sremenſis Notarij publici legitimè adcitatus; quòd cùm nondum ex ephebis exceſsiſſet, ſæpiùs audierit Honeſtos Martinum Małyſzká, & Valentinum de Skokow, Eccleſiæ Zdźieſzouienſis ætate illâ ædituos aſſerentes, poſt noxiam populatricis flammæ voracitatem, cùm multi magis ab incendio, Virgineæ ædis deſiderio vrerentur, ac in eum finem conſilia conferrent, oblatos repente fuiſſe duos Equos, vltroneâ ad locum tranſitione, neſcitur vnde delapſos: namq; vbi per oppida, & proximas diſsitaſq; villas Præconis voce de eiſdem inſonuit, nec vocante tamen famâ Dominus ad repetenda propria exciri, nec factâ diligenti veſtigatione indagari potuit: vnde ad miniſteria futuræ Eccleſiæ adhibiti, eo-

Dum illi Templum ædificatur equi duo ſubmittuntur Diuinitus.

usque conuehendis arboribus, ac cæteris necessarijs seruiêre, quoad promouente fabricam multorum pietate, optata Ecclesia adoleuit quâ perfectâ, rursus inde inopinè subtracti, omnem inquirentium solertiam ita effugêre, vt cœlitus missos, ac iterùm cessante necessitate receptos & disparētes, constās semper opinio tulerit, & fama hucusq; loquatur. Huic ergò manifestâ tunc Numinis curâ erecto Tēplo, infertur ImagoDeiparæ, expetitū occupatura locū; vnde mox reuerentiā sui ad omnes spargere,& mirò affluētium populorum concursu, attolli in gloriam cœpit

Post fabricam dispereunt.

Verùm inuidit eam populis felicitatem, Virgini venerationem, antiquus ille hostis, calcaneo Parthenio, (quo contritum se gemit,) dolos semper insidiasq; struens, & vestigia MARIANÆ gloriæ vbiq; obterere satagens. Vnde posteaquam è Saxoniæ sentinâ, èqueGenevensi Lacu geminos in Deiparam armasset tenebriones, Lutherum & Caluinum; qui Matrem Altissimi honore debito spoliare, Inuocationem tantæ Reginæ Sacrilegij infamiâ adspergere, Aras & Effigies eiusdē per Galliā,Germaniāq; fanatico furore confringere,ausi sunt & cœperunt;nostræ quoque Poloniæ eam afflauit pestem, quæ siue inter aduenarum merces, (queis noxia Polonorum inhiat curiositas) deuecta, siue incautis Iuuenum animis

animis, dum externos ſciendi deſiderio luſtrant, cùm peregrinæ doctrinæ tincturâ inſtillata, labem poſtea ad cæteros ſanguinis, amoris, vel ſubiectionis lege obſtrictos, latè diffudit & propagauit. Ex horum numero hæres quoque Borcenſis, veterum faſtidio, nouis ſacris initiatus, parem cæteris parium dogmatum alumnis, contra Deiparam animum induit; mox enim næ impræmiata foret turpis à fide defectio, raptis quæ Eccleſiam concernebant bonis, nouitiæ Religionis primordia à ſacrilegijs auſpicatur: Iura Eccleſiæ quam poſſeſsione bonorum interuerterat, (næ index repetundarum extaret) flammis abolet, Præsbyteros ademptis Prouentibus ditione totâ exigit; ac Templum illud felici horrore, florentique erga Virginem deuotione auguſtum, inductis ad tollendam loci Religionem beſtijs, polluit ac deformat. Non defuit quidem tanti ſceleris vltor DEvs, ad pœnam Domini, quæ deinde merentem corripuit, in pecoribus (eo quo poſtea dicetur modo) proludens; ſed quis hominibus Circæo hæreſeos poculo amentatis, vel inter ſupplicia doloris ſenſus? quos plerumque ipſa Nemeſis, dum vltore flagello caſtigat, magis efferat, ac in furias agit. Fremit miſer ille plagis aſperior, quòd ſuperis tantùm in ſe ſuaq; liceat; vnde noua illis bella indicere, noua excidia

Hæreticus hæres conatur extinguere Imagines.

Templum Viginis in ſtabulum vertit, & punitur.

cidia ſpirare audet. Ergò indictâ die, cùm imbutus Caluiniano ſucco blatero, claſsicum pro concione aduerſus Imagines (quas illi idola Papiſtica vocant) ceciniſſet; animati ſtrepero blaſphemi illius Tritonis cornu ſectarij, Domino vel maximè incitante, conclamant ad arma; ſtructoque ante aream prædialis Palatij rogo, per oppidum lymphati diſcurſant; Imagines præcoci ſententiâ ad ignem damnatas, Templis protrahunt, ac in ignem conijciunt. Illîc mirùm dictu, cùm cæteras edax flam̃a in cineres reſoluiſſet, binas imagines, alteram Virginis Chriſtũ cruce depoſitum gremio fouentis, alteram S. Barbaræ Martyris, vis Diuina ſinuoſis flammarum ereptas voluminibus, medio àëris ita ſuſpendit; vt innoxij circum ignium impetus, attonitis ſpectaculo hæreticis, vix eas allambere potuerint. Tertia hæc cui noſtram addiximus operam, quonam modo tunc rabiem furentium euaſerit, ſeu vicerit, incurioſa oppidanorum non connotauit ſimplicitas; ſiue impium illum, Sodomitarum more Angelus, næ Imaginem attingere poſſet, cæcitate percuſsit; ſiue ipſa Maieſtas vultus, & horror ſacrâ Icone effulgurans, inuito & contranitenti reuerentiam excuſsit.

Imagines dum exurit, illæ per Angelos ab igne ſublatæ fugiunt.

Quomodo tunc Imago iſta ſe ruata in certum.

Mollior exinde Dominus, inania Gigantum in ſuperos bella abrupit; & non profecturos

G dein-

Deuotio pópuli ad istam Imaginem etiam durante hæresi.

deinceps ictus Diuorum Imaginibus infligere cessauit; satis irrogatum opprobrij ijsdem putans, quòd publicæ subductæ venerationi, squalore & situ obsolescerent. Verùm etiam tùm præualuit Christiana pietas, vt illo quoq; fatali tempore, in sanctorum, & hanc præcipuè Matris Sanctorum Effigiem officiosos esse liceret; quamuis enim exactis Borcensi Oppido Catholicis Sacerdotibus, Ecclesia Pastore destituta Diuinorum conticinio laboraret; certis tamen temporibus, ingens quotannis multitudo, è vicinis pagis ac oppidis, turmatim conuolare sueuerat, votorum rea, & Gratiæ vel obtinendæ desiderio, vel obtentæ effectu, in laudes Virginis captiuata. Cuius deuotioni succurrebat tunc è vicino Reuerendus Matthias Parochus Iezouiensis, ad prædictas solennitates, celebrandis sacris, augendæque deuotioni ventitare, magno omnium solatio solitus. Immò sæpius quoque valescente licet Hæretici temporis gelu, erumpebant velut decussis cineribus, flammantis erga Deiparam feruoris piæ scintillæ; quoties enim vel peregrinum Præsbyterum casus, vel alium famâ Imaginis captum, deuotio hîc stitisset; certatim per oppidum & adiacentes pagos circumcursare facti indices, erumpere signa lætitiæ, tota ciuitas mutuis significationibus, ac inuitamentis feruere,

uere; & intermiſsis quibuſuis negotijs, cuncti ad Myſteriorum arcana, Virgineaſque laudes, tum ipſi rapi, tum alios felici æmulatione rapere: Retulit hoc iuramenti Religione interpoſitâ, idem ille honeſtus Albertus Lizacus Centenarius, & in præmiſſorum notitiam ætatis beneficio eniſus.

Poſt hæreſim, primus Promotor cultus R. Felix.

Succeſsit poſthæc lætior Eccleſiæ populoque Dei facies, exempto humanis Iconomacho; & nubeculâ illâ, quæ tantùm in Sanctos ac Reginam Sanctorum conciuerat turbinem (*prout de Iuliano dicebat D. Baſilius*) in puluere vaneſcente. Ita iam eluctati impedimenta ſua Catholici, libero in Deiparam affectu certare; & Sacram Imaginem, quam toto conatu Erynnis Hæretica ſupprimere geſtiebat, pleniore vſu delibare, cultu honeſtare fas habuêre. Opportunè verò Deus loco illi ſubmiſerat, Reuerendũ Felicem à Srzem Duranium, primò Eccleſiaſten ac Vicarium, mox etiam Præpoſitum & Paſtorem Borcenſem; virum præter vitæ innocentis candorem, tanto Virginis amore incenſum, vt quemadmodum D. Ignatius Antiochenus IESV, ſic ille MARIÆ Nomen cordi inſculptum habere videretur. Nihil illi ſuauius, quàm per ampliſsima laudum Virginearum ſpatia euagari; ac ex profundo MARIANÆ Excellentiæ mari, hauſta elogia fa-

Eius in Deiparam ardor, & zelus.

cundo ore in populos ſpargere. Omni eius concioni MARIA inerrabat; omnem ſermonem Nomen hoc condiebat, tantâ & tam ardenti contentione, de Virgineæ miſerationis copiâ diſſerentem, vt ignem ſpirare crederes; cuius incendio obdurata etiam peccatorum corda, lachrymis & liquenti in Virginem amore ſoluerentur. Hoc ergo nouo Amphione præduce MARIANORVM Elogiorum ſuaue melos vbique inſonante, ſtruuntur Imagini Virginis nouæ Thebæ; & erectis omnium in Deiparam ſtudijs, primùm è ſolidis trabibus ampliſsimum Templum, ternis ad latera additis turribus inſigne; mox creſcente populorum liberalitate, Auguſta è Coctili latere Baſilica, arte & opere viſenda, magnâ ſui parte Promotore Reuerendo Felice exurgit. Innouata illic veterum Iſraelitarum certamina attonitus ſpectator vidiſſes, dum ſinguli in ſacræ Imaginis Templique ornatum, pariter ac olim gens Abrahamidum in Tabernaculi ſtructuram, Aurum, Argentum, gemmas, Cymmelia, profuſis dextris congerunt; queîs verò tenuior fortuna, tam ditia inuidit negauitq; munera, lapides, cementum, lignorum ſtrues (*deriuato ab ijſdem Iſraelitis, pilos caprarum in Arcæ tegmina conferentibus, exemplo & affectu*) humeris ipſi ſuis comportant. Et verò reſpondit abundè optimi

Excitat primùm Templũ ligneum Imagini.

Poſtea muratum ſumma populorũ alacritate.

Sacer-

Sacerdotis zelo, populorum ſtudio, Virginis Matris liberalitas; tot ab hinc & tantis ad ſacram Imaginem radians beneficijs, vt Circum Maximum illîc aperuiſſe videatur, in quo humanæ concertans deuotioni, ſuperiorem ſe affluentiâ donorum oſtentat: Cœpit enim ad finem præteriti, initium præſentis ſæculi, inſuetis prodigijs locus ille clareſcere; Ægris medelam, Afflictis ſolatia, diſcrimine implicitis opem, obuiâ ad cuiuſque neceſsitates dignatione largiri; & ſtupendam ſanè officinam, in qua *mirabilis Deus mirabilia fabricaret opera*, aperire. Vnde nouis in dies gratijs, ad hanc Imaginem coruſcantibus, & celebri eorũ quibus Virginis munificentiâ frui contigit præconio, excitus Illuſtriſſimus olim Andreas de Bnin Opaliński, Epiſcopus Poſnanienſis; quò magis potentia Matris Dei eluceſceret, exactaque ad lydium examinis lapidem miracula, maleuolorum criſim euidentiâ facti ſuperarent; Anno Dñi 1619. ad faciendam Inquiſitionem, Reuerendiſsimum Staniſlaum Hap, Epiſcopum Ennenſem, Suffraganeum Poſnanienſem, & Admodum R R. Staniſlaum Kochanium Decanum Crobeń, Plebanum Pepoueń, Staniſlaum Srzemenſem Decanum Nouæ Ciuitatis, Plebanum Wilkouień ſpecialiter deputauit, addito eiſdem Notario Publico, Nobili Dño Staniſlao

Imago Beatiſſimæ Virginis maximè hoc ſæculo ſignis claret.

Inquiſitio facta ſuper ijſdem.

 niſlao

nislao Stászewski Reuerendissimi Dñi Suffraganei Actuario.

Origo Imaginis vetustate sepulta.

Hi igitur cùm ad Ecclesiam Zdźieszouiensem personaliter descendissent, citatis quos æui maturitas ad pleniorem Magnalium Deiparæ notitiam euexerat, ac Religione Iuramenti obstrictis; tametsi plurima de eximiâ eiusdem Deiparæ munificentiâ, per fauores ad Imaginem suam exhibitos testata retulissent, Originem tamen & Auctorem celeberrimæ Imaginis, effugiente memoriam antiquitate, assequi nequiuerunt: siue commune Magnorum operum fatum, vti ingentium fluminum capita abscondit, ita huius quoque mirificæ Imaginis ortum, tenebris & caligine obtexit: siue ex altissimis rationibus *Deus*, qui & *ipse dixit vt habitaret in nebula*, quemadmodum terrestrem, ita hunc quoq; Parthenium Paradisum, ex quo inexhaustus Gratiarum fons dimanat, ab oculis memoriâque hominum subduxit. Certè obliterandis exactæ notitiæ vestigijs, abolendæq; ex hominum memoriâ. Sacræ Imaginis origini, suffecit insana hæresis; per triginta & amplius, quibus Borcensi oppido incubabat annos, iniurijs Imaginum, ad plenam earundem obliuionem succincta & intenta: Probabile enim est, ijsdem artibus intercepta (si quæ extabant de sacra Icone) monumenta, quibus

3. Reg: 8. vel potiùs per Hæreticos abolita.

depe-

deperiêre tradita Vulcano Ecclesiæ Iura. Illud fideli deponentium relatione constitit, coæuam Ciuitati, quæ post sua fata loco reliquit nomen sacram Iconem, tertium iam sæculum spectaculo & cultu attinere; & à primo iam inde ortu, quo è peritâ artificis surrexit manu, per multa cœlestium fauorum illicia, communi fauore ac deuotione sublatam, Venerationem sui ad subsequentes ætates propagâsse. Visam præterea sæpius non modò superioribus sæculis (quòd prouectiores ætate memorabant) sed recenti etiam hominum memoriâ, eandem Imaginem luce circumfusam, euictis tenebris nocte concubiâ, splendorem vltra Templi ambitum proiecisse; & nouam hanc sempiterni Fœderis Arcam Deiparam, Igneæ columnæ indicio per tenebras proditam, spectãtium animos in admirationem rapuisse. Id sibi quoque visum Venerabilis Ambrosius Rychlicius Altarista Borcouiensis, & Ioannes Ramká Ciuis, alijque plures, Sacramenti Religione firmârunt.

Ab hominum memoria semper fuit in veneratione.

Sæpius visa lucem iaculari

Verùm superest iam, vt post vestigatam (quatenus è ruderibus antiquitatis eruere licuit) sacræ Imaginis ætatem, ad describendam eiusdẽ formam ac symmetriam accingamur. Ac in primis præmittimus, videri Imaginem hanc proximè accedere ad speciem habitumq; Virginis, prout ab

Deiparæ dum viueret qualis fuerit forma.

Niceph. lib. 2. cap. 23.

ut ab Epiphanio apud Nicephorum deſcribitur his verbis, *Erat ſtaturâ mediocri, quamuis ſint qui eam aliquantulum mediocrem exceſſiſſe longitudinem dicant; colore fuit triticeum referente, capillo flauo, oculis acribus, ſubflauas & tanquam oleæ pupillas in eis habens; ſupercilia erant ei inflexa, & decenter nigra, naſus longior, labia florida, & verborum ſuauitate plena; Facies non rotunda & acuta, ſed aliquantò longior, manus ſimul & digiti longiores: Erat denique faſtus omnis expers, minimèque vultum fingens, nihil mollitiei trahens, ſed humilitatem præcellentem colens.* Ex his apertè tuentibus Imaginem Zdźieſzouienſem liquet, imitante deſcriptã ſpeciem penicillo, vultum Virginis ita effictũ eſſe; vt ab albedine ad honeſtum deflectens pallorem, triticeum colorem exhibeat; Genis duntaxat roſeo rubore vernantibus. Oculi viuido impetu, ſidereum neſcio quid iaculantes, omni à parte occurrere ſpectantibus videntur; ita pupillam temperante artificis dextrâ, vt reddere vicem tuentibus, ſpectatoreſq; ſuos grato lumine reſpectare Virgo credatur. Frons & labia inter riſum & nubilum media; cùm nec triſti minaciq; ſupercilio adducantur, nec in nimiam hilaritatẽ laxentur; iucundâ enim quâdã grauitate renident; & primo ſtatim contuitu, fiduciam cernenti-

Imago Zdźieſzouien. eandem refert.

nentibus ingenerant. Verùm libet fuſiorem eiuſdem Imaginis deſcriptionem, ex libello de eadem manuſcripto A. R. D. Stephani Dámálewicz, S. Th. D. Canonicorum Regularium ad S. Nicolaum Caliſsij Præpoſiti attexere; cuius viri honori id damus, vt illius calamo delineatam Imaginem Zdźieſzouienſem, legentium obtutibus animoq; ſiſtamus; Sic igitur ille. Imago Zdźieſzouienſis quodam occulto ſpectatorum animos illicio tantùm non trahit: Frons mediocriter eſt alta, & nullâ rugarum nube inamœna; mixtam verecundiæ lætitiam iucundè oſtentat, & ipſis eam intuētibus, Diuinam quādam dulcedinem inſtillat; pupillis oculorum, in ſpeciem oliuarum ad maturitatem ſuam tendentium ſuauè nigricantibus, quibus ſupercilia tenui arcuata diſcrimine, eiuſdem coloris, augent gratiam. Ita quiſq; ſe aſpici & tantùm non obſeruari exiſtimat, nullo tamen metu; nam licet maieſtate plenus obtutus reuerentiam ſibi conciliet, nihil tamen niſi amoris in animos ſpectantium fiduciam eubrat. Hinc incredibili quiſque intuentium gaudio delibutus, vix recedit, plerumq; auellitur; nec vidiſſe ſatis ſemel eſt, iuuat vſque morari; & in toties repetito regreſſu, nouus quidam in mente Contemplatoris increſcit, & aſſurgit vigor. In naſo grauitatem, in genis decorem, in ore ar-

Deſcriptio Imaginis.

Imago à nullo potest exprimi pictore.

tifex ſedere fecit omnem faciei totius gratiam, inimitabili artificio omnem prorſus pictorum ſolicitudinem excludẽte; vt ſic exprimere mixturam coloris, nucis auellanæ, ſiue Italici Tritici, cum malorum granatorum nondum plenè rubentium temperie fruſtra conati, oleum & operam perdiderint toties. Collum cum capite aliquantiſper inclinatum vergit ad ſiniſtrã; vt infantem IESVM ferè biennem, in eâdem manu collocatum, ita ſuſtentet, & digitis laciniam veſtis Puerilis, leuiter attingat. Diuinus Puer obtutus dirigere videtur, non tam ad Matrem gerulam, quàm ad ſpectatores, quaſi meditabundus eorum vota, & ſupplicationes expendens; Diuinâ Parente oculis in Filium defixis, Miſericordiam ipſâ vultûs verecundi modeſtiâ erga peccatores prouocante: Tabula Imaginis in longum habet cum iugumentis, vlnas duas & quadrantem, in latum cubitos duos: dimenſio Faciei, vlnæ in longum quadrantem & ſemis occupat; Naſi menſura ſemis quadrantis, oculi vtriuſque pollex craſsitiem implet; Manus faciei reſpondet, vt nihil ad proportionem, & ſymetriam partium ars amplius poſsit deſiderare. Veſtes tam Infantis DEI, quàm Matris, auro & argento non pauca oblinit per totam tabulam Mariophilorũ Clientium liberalitas.

Dimenſio Imaginis.

CAPVT

CAPVT IV.

Recensentur mortui, post oblationem eorum ad Imaginem Zdźieszouiensem factam, portentosâ Deiparæ ope, vitæ redditi.

VT statim in limine *obstruatur os loquentium iniqua*, nec Hæreticâ tinctæ fuligine mentes, Miracula ad Imaginem DEIPARÆ patrata, atro notare calculo, fucumque illis, nobis credendi facilitatem, mordacissimâ sugillatione obijcere audeant; placuit in recensendis prodigijs, in quibus *Dextera Domini magnificata est*, eum seruare ordinem; vt à magis arduis, quæque sicut omnem creatam transscendunt virtutem, ita omnem cauillandi amputant libidinem, ordiamur. Cùm igitur, quemadmodum latè, capite secundo monstrauimus, Mortuorum suscitatio, sit opus solius Diuinæ manûs consectaneum; & tam naturæ quàm Dæmonis viribus imperuium; inde auspicabor miraculorum Virgineorum, vnde multi beneficio Virginis, auspicati sunt abruptam Parcarum inuidiâ, vitæ suæ telam. Nec verò mirum est, Deiparam aliquos in indiuiduo homines, amissâ redonasse vitâ, quæ

Psal. 62.

B V. est genitrix vitæ, Mater salutis.

vniuersum genus humanum, callidi serpētis mortifero afflatum veneno, in non morituram reuocauit vitam. *Auctrix (inquiebat Augustus sanctus Augustinus) peccati Eua, Auctrix meriti* MARIA: *Eua occidendo obfuit*, MARIA *viuificando profuit, illa percussit, ista sanauit.* Vnde meritò Virgo Sacratissima, sub Typo sapientiæ, per vulgatam totius Ecclesiæ accommodationem, apud Siracidem gloriatur: *In me omnis spes vitæ & virtutis*: quia nimirùm ipsa, sicut primitus ad fugandam mortem, editâ mundo vitâ salubriter concurrit; ita hodieq; homines, mortis vinculis & inferni legibus irretitos, opis suæ interuentu, fortiter exoluit; nec potest quisquam citiùs temporariæ ac æternæ mortis, iugum excutere, quàm ille, quem potentissima MARIÆ manus statuit emancipare. Pulchrum super eâ re discursum texit aureo calamo styloque profluus Petrus Chrysologus: Audax Libitina, in dilectam quoq; Christo domū, fatalem falcem immiserat, & infixum cordi amorique Saluatoris Lazarum, viuentium numero exemerat; aberat tum Christus, cùm Victrix Parca, tam mœstum de amico duxit triumphum, & inter ferales manubias Lazari exanimum corpus ad sepulchrum traxit; quatriduo post superuenit Dominus, obuijs Marthæ lamentis, & querulâ super mortis ausu accu-

August: Serm: 18. de Sanctis.

Eccl: 24.

Vita citissimè redit per Virginem.

accuſatione exceptus; nihil tamen reſolutam in lacrymas propriam Hoſpitam miſeratus, eiuſq; pollicitis, & ſuæ declamatione potentiæ miſerā detinuit, quoad illa deſiderium Domini odorata, accerſit ſororem ſilentio & ait; *Magiſter adeſt & vocat te*; tum verò vbi Maria Magdalena amoris doloriſque ſtimulo incita, ante conſpectum Domini ſeſe & lacrymas effudit; indignari audaciæ mortis ac infremere Chriſtus, reuolutoq; mox ſepulchrali lapide, domare indomitam; repetere ſpolia à prædatrice; ereptumq; Tartari legibus Lazarum, in vitam & lucem reponere. Miratur hîc aureus Præſul, Chriſtum non priùs morti frena inieciſſe, quàm Maria ſoror Marthæ, interpoſitis gemitibus, ad hæc prælia eundem acuiſſet; & audet dicere, Nomine typoque Matris, licet tunc in alieno ſubiecto ſcintillaret excitum, in mortem irruiſſe; abactaque quam violenter attraxerat prædâ, in MARIÆ genitricis gratiam Trophæum de morte, in mortuali Lazari monumento ſtruxiſſe. *Quia* (inquit) *ſine* MARIA *nec fugari mors, nec vita poterat reparari; veniat* MARIA, *veniat Materni Nominis baiula*. O quam verè ab aureo fuſum calamo, ſine MARIA nec fugari mors, nec vita poterat reparari! Senſit id, gratiſsimâque approbauit profeſſione rediuiuus Orbis, ab æternæ mortis cataſtâ,

Ioannis 11.

Sine Maria mors fugari non poterat, nec vita reparari.

Chryſolog. Serm. 64.

& orci faucibus MARIANO ſuccurſu erutus, ſenſêre (*vt innumeros omittam*) illi, quos dum ſecurè ad loca manibus habitata, mors abegit, conuerſo per Deiparam, poſtquam ad hanc eiuſdem oblati ſunt Imaginem, rerum ordine, gemens poteſtate ſuâ manu miſit. Horum iam Cathalogum, ad tantæ Reginæ gloriam, & meritæ Pietatis augmentum, ex Authenticis Monumentis perſequamur.

Fulmine ictus & occiſus, reuiuiſcit ad Imaginem oblatus

1. Anno Domini 1604. Ipſo Aſcenſionis Dominicæ Feſto die, ſolutâ Pomeridianâ Concione, repente cœlum tetrâ facie inhorruit; ac crebro colliſarum inter ſe nubium fragore, vagoq; per àéra ignium diſcurſu, non dubiam parturire pernitiem viſum eſt: cùm ecce perrupto qui obſtabat vapore, deciduum fulmen ruit in oppidum; & Ciuem ac tunc Proconſulem Borcenſem, Albertum Sáydak, lethali ictu ſternit. Exanimū Cadauer vt ſupernâ correptū eſt flamâ, luridum ſtatim colorem, patentibus ambuſtionis ſignis, & ſulphureum traxit ſpirauitque odorem. Concurritur ad triſte ſpectaculum ab vniuersâ viciniâ; & lamentis familiæ, planctu amicorum, miſeratione vniuerſorum domus impletur: Interim tactus fulmine per manus domeſticorum hypocauſto illatus, lectulo componitur; & cùm nulla extarent manentis animæ veſtigia, intercluſaq;

ſpiratio, veram mortem teſtaretur; cùm deinde nudatum corpus, manifeſtè quâ fulmen per genas & guttur tranſiens, lethalem ictum in pectus adegerat, ac deinde diuiſâ per ventrem ac pedes erumpens viâ, veſtes & ſoccos terebrauerat, ſpectantibus exhiberet; increbuêre rurſus dolentium eiulatus, & Mors quæ feſtiuæ diei lætitiam, & Amici interuertit vitam, inani queſtu vapulauit. Horam circiter lamenta ſuper mortuo tenuêre, cùm ſuperuenit Rñdus Felix, nondum Præpoſitus, verùm Concionator duntaxat Borcenſis; viſoque luctum & lacrymas valeſceſcere, ac inutili flentium imbre, malè fulmineos ignes reſtingui; altiori iam ipſe animatus ſpiritu, ſpem concipit animari poſſe de Benignitate Virginis Mortuum, ſi ad Imaginem, multo iam tum beneficiorum experimento celebrem, votiuâ adſtantium pietate offerretur. Ergò admonitis qui aderant, funduntur omnes in genua: ac Dextræ MARIANÆ eum, quem fulminea irati Iouis conſumpſit dextera, piò eiulatu repræſentant; cùm ecce mortuus ter ſacroſanctum IESV Nomen exili primùm voce inſonuit; & mox poſteaquam maiori fiduciâ, deuotio præſentis populi ſeſe intendit, mixtaſque gaudio lacrymas, Virgineæ benignitatis admiratio, omnibus expreſſit; recepto totaliter loquendi

vſu

vſu proclamauit: *Virgo* MARIA *adeſto mihi*; ſimulque membris omnibus vegetus, vitam & vitæ officia reaſſumpſit. Tanti beneficij memor, octauâ poſt fatalem ictum die, inſtitutâ ſolenni Cleri ac populi ſupplicatione, Sacerdotum coronâ cinctus, & accenſam facem, inter plures circum coruſcantes deferens, Eccleſiam Zdźieſzouienſem adijt; ibique *Matri viuentium*, vitam quam ipſa dederat, liberaliſsimâ gratiæ confeſsione reddidit; ac rei totius memoriam, in tabulâ exprimente penicillo digeſtam, ad aram Virginis appendi fecit. Præſentibus R. Felice Duranio Concionatore, Ioanne Wilkoński, Simone Hyppolito Vicarijs, & Ambroſio Altariſtâ Borcenſi. Magiſtratu quoque tàm Conſulari quàm Aduocatiali, ac toto Oppido Borcenſi, ad celebranda Virginis Magnalia turmatim effuſo.

Puer mortuus poſt factũ votum reſurgit.

2. Anno eodem in villa Skokowo, fœminæ cuiuſdam filiolus, Cathari defluuio in guttur illabente, ac inde ſpiritu intercepto extinctus eſt: intentis ad ſuprema puero perſoluenda cunctis, mœſta Mater in diuerſas curas tendere, & dum alij mortis officia curant, ipſa ſola recuperandæ vitæ commercia, felici audaciâ tentare incipit. Subeunt in mentem Prodigia ad Imaginem Zdźieſzouienſem toties iam facta, & *cùm*

non

non sit abbreuiata manus Domini, in paris gratiæ tentamina, Materni amoris impetu, Virginei fauoris occulto suasu & inuitamento erigitur. Iam examine Filij cadauer plaustro impositum, ad Ecclesiam deuehi debebat; panisque de more Catholico egenis distribuendus, corpusculo defuncti adiacebat; cùm Mater genibus prouoluta, meliorem Matrem pro vitâ Filij interpellat, reddique illum mundo non tam ad priuata solatia, quàm potentiæ suæ maiora præconia postulat: adhuc æstuantibus afflictæ labris vota inerrabant, cùm deploratus omnium sensu puer, vitales sensus exerere, motuque & suspirio retrocaptam vitam salutare; ita mutatâ iam causâ, continuatur cœptum ad Ecclesiam iter; lætaque mater, Filium quem mortuali fossæ inferre debuerat, versâ facti serie vitam adspiranti, Deiparæ sistit Imagini; ac eundē Sacerdotem Ioannem Wilkoński, quem obeundis parentalibus sacris condixerat, ad Eucharisticum sacrificium, persoluendasque Virgini grates adhibet.

3. Anno sequenti 1605. Oppidani Borcensis, Petri Rotificis Coniunx, doloribus partûs incumbentibus, in nouos dolores, non tam feracem, quàm feralem vterū se tulisse ingemuit; postquam eiectum in auras fœtum priùs morti succubuisse, quàm vitam & lucem hausisset, aduertit: adhi- Fætus absque vita in lucem editus animatur.

 ben-

bentur fomenta corpusculo, oppressis forsan gestatione artubus, in vitæ munia explicari non valenti; modisque omnibus intercepta anima, ad regendos corporis motus elicitur; sed frustra fuêre conatus, queîs Parca obstabat, & abrupto vitali stamine, intermissam semel fusum negligēti manu excusserat. Ergo alia retexendæ vitæ initur ratio, & felicior mendaci Lucinâ Deipara (factâ ad Imaginem Zdźieszouiensem oblatione) ad corrigendos infelicis partûs errores, lacrymosâ prece excitur; statimque filiolus motu & fletu, quòd alterius Matris beneficio viueret contestatus, propriam genitricem, quæ ante homicida fuisset quàm mater, lacrymis corripuit: & næ diaria videretur Virginis gratia, protractâ ad virilem ætatem vitâ, vsque in Annum 1647. durauit.

Pari Virginis beneficio, aliquot post annis vitam recepit, omni vitæ sensu secluso, in mundum extrusus puer, Ciuis Calissiensis cognomine Golibrzuchij filius: nam cùm vltra horæ spatium manentis animæ negâsset indicia, ac de *vtero ad* Iob 10. *tumulum transferri deberet*, voto ad hanc Imaginem concepto, reducem spiritum per suspiria moliri cœpit; ac deinde gratâ parentum officiositate, velut alter Samuel mirabiliter datus, ad hanc melioris Fœderis Arcam adductus est.

4. Non multis ante hæc tempora Annis, videlicet Anno à Partu Virginis 1599. ipso eiusdem Virginis Natali dicato die, cuiusdam mulieris de Villâ Bruczkowo bimulus Filius aquis illapsus, ac ijsdem præfocatus est: accurrit misera mater, & protractum è gurgite, modis omnibus in vitam reducere tentat; gelatũ corpus calore refouet; noxium quo membra tumuerant humorem, sudoribus prolicit; & extinctos spiritus, si quæ adhuc vitæ maneat scintilla reaccendere allaborat: sed enim irrita molimina derisit mors, quæ iam mersum puerum, trans vlteriores sæculi alterius aquas, Charontis cymbâ deuexerat. Binas horas & vltra tenuit inter curas & gemitus, spe metuque alternante, Matris diligentia; nec tamen vitæ indicium, à durato lethali glacie corpore extorqueri potuit. Quid igitur consumptis omnibus medijs faciat, orbitatis suæ sensu, atroci nati fato euicta Mater? *Grande* (aiebat Pöeta) *doloris, Ingenium est miserisq; venit solertia rebus.* Vbi terram dolori suo solatia, filij casibus remedia negare videt, cœlum petit; pulsatâque pijs clamoribus ope, Genitricis Diuinæ, qui Moyse attestante *Ignis consumens est*, extinctum puerum, meliori quàm olim figmentum suũ Prometheus ignî animari poscit; & dum ita votis ad Imaginem Zdżieszouiensem nuncupandis

Aquis submersus puer spiritum recipit.

Ou: in Metaph.

Deuteron. 4.

intendit, ecce ſpirantem filium auras attrahere; vitæque primordia gemitibus prætentare videt. Eum deinde ſanum valentemque receptum, Virgini quæ dederat, in Eccleſia Zdźieſouień: ſtitit, factique ſeriem gratâ prædicatione redigi in faſtos Eccleſiæ voluit.

Occiſus à latronibus reuiuiſcit.

5. Anno 1613. Bartholomæus Ioannis Fabri ferrarij Colnenſis filius, tunc ſeruitijs Generoſæ Dominæ Xiążyńska addictus, dum ſyluam quandam denſis quercubus horrentem pertranſit; erumpunt ſubito è latebris ſicarij, & fugam molientem vulneribus tardant; cùmque defectis viribus, plurium manibus appetitus concidiſſet, ſanguinarij homines proſtrato lethales ictus ingerunt; & faciei ac manibus cæſim, collo verò & gutturi punctim inflictis vulneribus, eundem conficiunt; exanimumque demum & viribus ac ſpiritu deſtitutum relinquunt. Ita repertus & agnitus, ſubmiſſo quo deueheretur curru, ad Curiam Dominæ reducitur; & cùm glaciatum mortifero rigore corpus in nulla vitæ indicia molliri poſſet, illatæ necis verique lethi euidentiam ſpectantibus facit. Mouit interim aliquos ſeu priuatus erga occiſum amor, ſeu cædis atrocitas, & abruptæ primo ætatis flore vitæ indolentia; inde lacrymas primùm cruentis vulneribus irrorare, mox etiam ad altiores curas ſurrigi, & vitam

tam Deiparæ auxilio refundendam ſperare ſimul ac precari. Vix vota ad ſacram Iconem concepêre, cùm recurrere emortuis artubus vigor, extincti ſpiritus arterijs illabi & palpitare, vitaliſq; ſuccus membris omnibus exporrigi; nouiſsimè velut altum excuſsiſſet ſoporem occiſus, valens vigenſque ſurgit; & paruo negotio vulnera immani ſegmine hiantia ad cicatricem perducit; adeò felici curationis euentu, vt impacti iugulo ictus, qui omnium iudicio deferendis alimentis, ſermonique formando offuturi credebãtur, nullo vtrumque miniſterium damno corrumperent ac violarent. Venit is deinde hoc ipſum quod venire liceret Virgini debens, ad Imaginem Zdzieſouienſem; Liberatricemque ſuam, cuius dono mortis faucibus extractus eſt, Dominicâ tertiâ à Paſchate præſens adorauit.

Nullo ex tot vulneribus recepto damno.

6. Anno 1614. Albertus Incola villæ Ciświcá, noctu dum iter capit, à latronibus interceptus, multiſque vulneribus confoſſus eſt: collapſum in viâ publicâ, linquente animo, profluus patente hiatu ſanguis deſtituit; & inſuper inclementia frigidi aëris, lethalem torporem (reſiduis ſi qui inerant ſpiritibus) induxit. Ita poſtridie repertus exanguis, multique egerie cruoris, ac craſſo gelu duratus, & in non dubiæ mortis pallorem albens, ad exequias componitur;

Alter occiſus ac totâ nocte hyeme, frigori expoſitus reuiuiſcit.

cùm miserati inhumanam mox humandi sortem aliqui, felicius saltem fatum mortuo optare, ac expiandis Christiano ritu noxis, tantillum vitæ protrahendæ spatium, à Diuâ Virgine orare. Nec vana ad Virgineam clementiam recurrentium fuêre vota; nam reuolutus repente in vitæ vsum occisus, qui iam sepulchro inferri debuerat, Templum Virginis grato animo petijt; & gratijs Matri viuentium persolutis, spectatores mortis suæ, ac stupendæ suscitationis testes, Famatum Albertum Snopek Proconsulem, Puściośek, & alios plurimos Oppidanos Iarocinenses, in perenne MARIANÆ gratiæ argumentum induxit.

Mortuus per horas quinque animæ cassus, portentosè resurgit.

7. Anno 1617. Albertus Faber ferrarius de Oppido Powidz, multis & magnis conflictatus morbis, tandem superante vim naturæ, ægritudinis violentiâ, fatis concessit; deq; lectuli spondâ (more gentis) in stramen depositus, & mortuali sindone inuolutus, integras quinque horas exanimis iacuit. Superuenit interim Famatus Nicolaus Oppidi eiusdem Notarius, mortuo corpori luctum, & supremæ humanitatis Iura impensurus; vbi cum totâ domo eiulatus, & lacrymas personare, & tristibus nænijs cuncta strepere videt; motus plorantium questibus, repetit memoriâ Beneficentiam Deiparæ, quam ipsemet aliquot ante annis, dehiscente glacie dum eam

transit

transsit absorptus, & facto ad Imaginem Zdźie-ßouiensé voto, mirabiliter è profundo lacu (prout alias dicetur) ad littus delatus, delibauerat: hinc iussis conticescere inanibus præficarum lamentis, à propriâ experientiâ, in alieni adiutorij fiduciã accenditur; & mortuum omnium lacrymis deploratum, ei quæ vitam peperit commendat. Adfuit de Virgineâ misericordiâ præsidenti vis Diuina; quæ defunctum quinque horarum vsucapione à morte possessum, crudelis Dominæ arbitrio, ad nutum Magnæ Vniuersi Dominæ exemit. Vnde paullò post rediuiuus Faber, in magnâ populi frequentiâ, ad Ecclesiam Zdźießouiensem delatus, ipso Pentecostes solenni, palam receptæ vitæ munus Virgini retulit.

8. Eodem Anno Gaspar Mileia Colonus de Villa Ługočin, die festo Sanctissimæ Trinitatis visitatâ Ecclesiâ Zdźießouiensi, noxas ritu Catholico confessione eluit; & vitæ alimoniâ in altaris Sacramẽto perceptâ, ad hospitium Lucæ Saydaczek Oppidani Borcensis diuertit. Illîc improuisâ quâdam mentis vertigine stimulante, miserandus suimet carnifex, strictum ferrum iugulo aptat; ac tanto impetu adigit, vt resecta ceruix, & à fronte in occiput reuulsa, extremis duntaxat neruis ac exiguo cuticulæ segmento penderet. Eiectum mox cadauer in compitum; foroque pu-

Homo, qui sibi ipsi manus violentas intulerat resecto gutture.

blico

Dum ad sepulturam trahitur, occursu ignotæ mulieris & iussu, reductus, domũ vitam recipit.

blico illatum, apparitores inuasêre, vnco ad locum damnatorum trahendum; dumque semicurrui iniectum, ad infame patibulum, sepulturâ asini sepeliẽdum raptant; ecce mediâ in platea (quæ furcã respicit) occurrit tendentibus ignotæ speciei mulier, ex opposito domus honesti Ramká, Oppidani obuia, retrahique in Oppidum cadauer, nec intempestiuâ præcipitantiâ festinari probrosũ funus iubet. Moti occultâ inuisæ antea Matronæ reuerentiâ apparitores, recipiunt rursus sese in Oppidum, & sublatum vehiculo cadauer, in publici carceris vestibulo deponunt; inde linteis circumligato gutture, audiunt loquentem, quem nec spiritum attrahere potuisse viderant, Sacerdotisque copiam fieri sibi postulantem: quo accito, magno pietatis sensu, dolorisque intimi significatione, peccata sua in sinum eiusdem deposuit, ac vitæ seriem ex Ordine reuoluit. Visitauit eundem cadente sub vesperam die R. Felix Duranius Præpositus, & deuotis vtrinque refotum colloquijs, post præmissam iterum confessionem, erratorum veniâ demulsit. Postridie demum animam exhalauit; non dubio Deiparæ quam visitauerat munere, ad vitam retractus, & tam diu inter mortis ac vitæ confinia suspensus, quo ad maculas omnes condignâ pœnitentia detereret: prout id recognouit, & in Chartophyla-

Confessus postridie moritur.

phylacium Ecclesiæ manu propriâ idem ille R. P. Felix sæpe memorandus retulit,

9. Eodem Anno Adamus de Villa Goreczki, in procinctu itineris hærens, stimulante animum impatientiâ, Matrem asperioribus verbis obiurgauit, nec facti pœnitentiâ tactus, cœptum iter ingressus est; expeditis negotijs domum reuersus, vix tecta subijt, & lassos viæ difficultate equos præsepi applicuit, cùm subitâ interceptus morte viuere desijt: & frustra lapsum spiritum reuocare conantibus domesticis, post consumptas vano exitu curas & lacrymas, quæ integris quatuor horis inania conantes lassauêre, mortuali habitu ad tumulum compositus est. Occupatis interim circa suprema officia ordinanda cunctis, subit tecta subitæ mortis incursu funesta, Generosa Domina, Valentini Gorecki Coniunx, fremitu concurrentis populi ad videndum pellecta: & interno statim suggerentis animi tacta admonitu, hortatur præsentes, vt irritos planctus, quêis mortuum importuni grauarent, vtilius ad implorandam Virginis opem transferrent. Procumbũt ergo in genua, & Deiparam miraculis ad Imaginem suam Zdźieśouiensem coruscantem, cùm sit ipsa *Sacratissimum* (Diuo Ignatio teste) *cœli terræque Prodigium*, mortuo per lacrymas & preces propitiant. Audijt orantes Virgo, & menti de-

Subitaneâ morte punitus ob Matrẽ obiurgatã, quinque horis exanimis iacet.

Apparet ei Deipara. & correpto vitã restituit.

ti defuncti sese obiecit, eâ quâ in Ecclesia Zdźiebouiensi visitur specie; castigatumque ob ingesta matri probra, iustè eo mortis genere perijsse denunciauit; ac melioris deinceps in Matrem officij admonitum, resumere vitam, quam precibus ab irato Filio extorsisset, iussit. Hæc omnia idem Adamus postridie Zdźiebium delatus, cadentibus vbertim lacrymis ex ordine edisseruit; & appenso ad Imaginem Virginis anathemate, seriem amissæ redditæque vitæ in Tabulis Ecclesiæ consignari fecit.

Puella lintea-mina abluens, cadit in lacũ, & submergitur.

10. Anna de Villa Kobkowo, laboriosi Cmethonis Krolij nurus, cùm abluendis in stagno lineis vestibus intendit, fortuitò excussum manu linteum, in vlteriora lacus, vagæ rotatu vndæ agi cœpit: quod illa retrahere conata, fallente vestigium ripâ, in stagnum decidit, statimque in profundum abrepta, elisum aquarum vorticibus spiritum amisit. Conclamant qui aderant, & voce hortatuq; inutili submersam cient; correptosq; quos casus obtulit sudes, ac longiores perticas, nec indigæ horum nec sentienti offerunt; donec amissâ enatandi spe, vrinatores vestigando cadaueri (vt saltem honestæ gratiam sortiri posset sepulturæ) submittunt. Extracto sensus omnis casso corpore, oborti omnium planctus, non minorem ex oculis liquentium lacrymarum, quàm

ex vda

ex vdâ puellâ madentium guttarum imbrem expressêre: subit tandem animos Virginis Matris potentia ad Imaginem Zdźiesouiensem prodigiorum frequentiâ celebrata; illûc mortuam positis humi genibus offerunt, & comparendi onere si viueret, illam seque illigant; ac mox eandem viuere, regestisque quas hauserat aquis, sanam & incolumem regredi vident; quam deinde in Ecclesia Zdźiesouiensi, alieni voti, proprij beneficij ream, Matri misericordiæ sistunt ac exhibent.

Oblata ad Imaginem B. M. V. reuiuiscit.

II. Anno 1617. Honestæ Annæ de Páwłowice, filium Triennem diri cruciatus inuaſêre, ac etiam contemnente rudes Villani Chironis artes, morbi acredine absumpsêre. Liquitur in fletus mœsta mater, & frigido infusa corpusculo, profugam animam osculis gemitibusque reuocare conatur; atque ita vltra horam inanibus indulgens curis, surdam mortem questibus, seipsam angoribus lassat, & conficit. Tandem vbi egestus per humentes oculos dolor paulatim deferbuit; & mœsta nubes, quæ hactenus animo obstabat, post roscidum lacrymarum imbrem vanescēs, opportunæ lucis radium ad animum transmisit; recordatur Imaginis Zdźiesouianæ; statimq; conscientiâ Magnalium ibidem patratorum erecta, audacem pietatem in nouas spes tendit, ac Filio vitam

Puer triennis mortuus resuscitatur.

tam, quam ab inexorabili Parcâ lacrymis extorquere nequiuerat, à vitæ genitrice poſcere præſumit. Nec deerrauit nimia licet votorum, Matris affectio; nam *dum ſentit de Dominâ in bonitate*, ad ſenſum experimentumque portentoſæ Bonitatis admittitur; & Filium quem deplorauerat, læta plorantem audit, recipit, complectitur; nullâque morâ ad Virginem quæ reſtituerat, in Eccleſiam Zdźieſouienſem defert; rerumque ſeriem in præſentiâ multorum, adnotante R. Bartholomæo Altariſta Borcenſi euulgat.

A coætaneo puero fuſte occiſus puer.

12. Anno 1621. Benedictus Alberti Vincentij de Grabienice filius Annorum 14. dum puerili ſedulus inſiſtit operi; ecce prorumpens ex inſidijs coæuus riualis, tam grauiter fuſtem inaduertentis temporibus inflixit, vt vno illo lethali ictu ſtratum ſtatim, ac ruentem confecerit. Concurrit æqualium turba ad fatale ſpectaculum; & puerili leuitate deliquium ſuſpicata, mortuum raptando, vellicando, clamoribus ac frigidæ affuſu in vitam ciendo, inutili miſeratione grauat; donec tres & amplius horas cum aduerſis fatis, & ſuperfluâ diligentiâ luctati, vacuum animæ corpus deſerunt. Aderat Tragædiæ frater natu maior, dimidium animæ in fugatâ fratris animâ perditum ſibi, lacrymis & miſerabili eiulatu teſtatus; dumque omnes æqualium curas atrocitati fati ſuccubuiſſe,

A Fratre uuncupato ad B. V. M voto, pro ſalute illius recipit vitam.

buiſſe, omnia reuocandi fratris auxilia in irritum recidiſſe videt; neſciò quo altiore ictus impetu, rogat coætaneos, vltimâ interfecto fratri opem deſuper accerſant, & ad Deiparam verſi, precibus elicere miſericordiam eius velint. Vix ſtrati humi, præeunte occiſi Germano, vota ad Imaginem Zdźiebouienſem nuncupauerant; cùm mortuus velut inſomnijs agitantibus, ronchos ex alto ducere, ac deinde excuſſo fatali lethargo, amiſſam lucem viſu voceque repetere. Ita breui vitam & ſanitâtem adeptus, comitante eodem, qui adipiſcendæ modum & Auctorem ſuggeſſerat Fratre, ac Parentibus, Eccleſiam Zdźiebouienſem lætus adijt; & cædis ſuæ modum ac medelam, in præſentiâ R. Bartholomæi Zawádzki Plebani Pogorzelenſis, ac aliorum plurium publicâ teſtificatione expoſuit.

13. Anno eodem, Generoſi Dñi Alberti Kráiowski filiolus Andreas, tepentis aquæ balneolo illatus, & ab incautâ nutrice deſertus; dum infantili ſimplicitate vndis colludit, in eaſdem totâ facie reſupinatus, ac deniq; intercepto ſpiritu præfocatus eſt. Aduolant miſeri Parentes, in filioli fatis magnâ parte præmortui; & planctibus pectora, lamentis ſidera, baſijs filiolum, inhalatoq; crebriùs ſpiritu, inaniter fatigant. Sed enim quis Mercurius abactum iam ad Elyſia prata ſpiritum

Infans in balneo ſuffocatus ad vitam reuocatur.

potenti lituo reflecteret? desertique in stationem corporis iterum aduocaret? Crebrescebant frustra totâ aulâ næniæ, cunctis vnius pueruli casu in mærorem prorutis; cùm parentes de vitâ Filij solliciti, reperiunt ad solatia sua, quouis Hermetico efficaciorem Caduceo *Virgam* illam nimirum, *quæ de radice Iesse egressa*, in vitalem florem illibato partu erupit: ad hanc Diuinam Virgam deuotis mentibus dum confugiunt, & votis pro salute Filij factis, in Ecclesiâ Zdźiebouiensi sistendum appromittunt; repente emortuum corpus, in vitæ officia flecti, ac vagitu cadentibusque per genas vndis, infelices quæ vitam rapuerant vndas damnare vident: lætique & ad reddendas Virgini grates properi, sese, Filiolum, votiuũ Anathema, in Ecclesiâ Zdźiebouiensi sistunt.

Isaiæ 11.

Alter itidem Infans pari fáto functus reuiuiscit.

Par eodem anno casus, cognominem priori Mulieris cuiusdam de Villâ Piotrowo puerulum, dum abluitur mersit. Par Virginis dum inuocatur gratia, haustum aquis spiritum absorpto refudit; quasi communis sors à primo in cæteros deriuata esset, Andream ab vndis euocari.

Lapsa in stagnum puella, implorata Deiparæ ope suscitatur.

14. Anno eodem Gregorij Aduocati de Zaborowo, filia septennis nomine Margaretha, fortuito in stagnum illapsu absorpta, diutius ibidem delituit: conquisitam Parentes infelici indicio subter aquis deprehendunt, ac toto corpore liuidam,

ridam, & continuo lambentium lympharum ſuctu tenuatam, flaueſcentemque in littus protrahunt. Nulla in exanimi puellâ ſemel exſtinctæ vitæ nictabatur ſcintilla; & tamen immodicus amor, non temerariâ ſanè fiduciâ vitam ſperare auſus eſt, ſi quæ ſtagno perierat puella, in magnum MARIANÆ Beneficentiæ Mare iaceretur. Ergo vota concipiunt, Puellamq; Imagini Zdźieſzouienſi præſentandam ſpondent; ſi voracis damna paludis, prodiga Virginis Matris liberalitas ſarciret, ac corrigeret. Nec mora votis; læta valenſque ſurgit Margaretha, & auras anhelitu, Parentes iam præ gaudio, nec votorũ ſuorum capaces, complexu ſalutat. Certè rudes illi, Græcos ignes aquis inardeſcere non viderant; at felici tunc euentu, Natiui caloris flammas MARIANO Mari concreditas, in viuâ ſpiranteque Filiolâ ſcintillare experti ſunt. Nemo deinceps neget naſci è mari Margaritas, cùm Virgineæ gratiæ pelagus, Margaritam hanc mũdo pepererit.

Mulier cum ſua nepti excuſſa in flumẽ vi aquarũ abrumpitur.

15. Anno eodem. Regina Laurentij Pellionis Kurnicenſis ſoror, cùm trienni ex fratre Nepti nomine Margarethâ, ad deportandam è molendino farinam curru vecta; dum imprudens auriga equos in ponte temerariè circumagit, lapſo in flumen curru, vnà cum puellâ excuſſa, gur-

gurgite fluuij hauritur & inuoluitur: puella statim vi aquarum intercluso respirio exanimata; Amita diutius cum mole sinuosi vorticis luctata, impetu tandem eiusdem sub ipsam Molendini rotam propulsa est: vbi pondere impactæ obtrita rotæ, quassato pectore, elisâ ceruice, scapulis contusis, nouissimè corporis velut aggeris obiectu lapidem molarem attinuit. Procurrit ad ea, ignarus subitanei obicis molitor; & ecce substratam rotæ mulierem, toto corpore conuulsã, eique rotæ molem quatuor iam effractis tabulis incumbentem, Puellam verò præfocatam aquis supernatantẽ cernit. Conuersus primò ad puellæ naufragia, veste quâtenus fluitabat attractã vndis eximit, & exanimem in Molendino componit; mulieri verò extrahendæ impar, quinque viros in subsidium aduocat; & amotis quêis premebatur ponderibus, fermè in modum pastæ rectam tollit, ac iuxta puellam collocat. Affuêre mox lugubri nuncio exciti plures è viciniâ, pars in spectaculi nouitatem, alij in commiserationem versi; atque inter hos piæ quædam fœminæ, dum atroci fato ingemunt, interno suggestu agitatæ, miras spes de MARIANO adiutorio concipiunt. Itaque euocatis in societatem fiduciæ, qui aderant, fusæ in genua, vitam demersarum Genitrici vitæ deuouẽt; factâq; ad Imaginem Zdzie-

Puella statim mersa mulier verò sub rotã Molẽdini impulsa ac contrita.

śouien-

ßouienſem comparendi ſponſione, Deiparæ potentiam interſtinctâ lacrymis ſupplicatione ſolicitant: & mox omnibus facti prodigio defixis, vtramque reſumptis ſpiritibus attolli, & viuam conſurgere aſpiciunt. Tanti & tam euidẽtis prodigij memoriâ, quò latiùs ad Virginis gloriam, & loci propagandam ſpargeretur religionem; Populus Kurnicenſis vnà cum Magiſtratu, inſtitutâ ſupplicatione, ſolenni Pompâ Rediuiuas ad Imaginem Zdźießouienſem deduxit, ac proſequutus eſt. Aderant in Comitatu præter alios multos Sacerdotes, Patres quoque Societatis IESV, qui facti ſeriem & Virginis præconia, vernaculo cõplexi metro, Innocentûm puerorum ore ante Imaginem Virginis pertexi fecerant. Vbi etiam pulchro ſpectaculo cernentes detinuit, & pluribus dulces lacrymas extorſit, demerſa nuper puella, eodem illo quo aquis innauerat habitu cõſpicua; & palmam velut de morte victâ triumphãs manu præferens, inter duos Angelico ritu comptos puellos, laudes Deiparæ concinentes, ante Imaginem eiuſdem prouoluta. Acta ſunt hæc in præſentiâ Magiſtratûs Kurnicenſis, authenticã ſuper miraculi veritate fidem interponentis; vocatis ad eandem relationem R.R. Felice Duranio Præpoſito, Gaſpare Molinio, Ioanne Coſminenſi, Nicolao Prawicki, Staniſlao Pogorzelinẽſi Vica-

Ambæ mirabiliter ſuſcitatæ cum ſolenni proceſſione ad Imaginem Zdźieſzouienſ. deducuntur.

rijs. Ioanne Wilkoński Præpoſito Hoſpitalis, Alberto Rychlicki Altariſta, Borcenſibus, & alijs quàm plurimis turmatim ad viſendaMagnaliaDeiparæ confluentibus.

16. Anno1622. Generoſa Domina Heduigis Oſſowska, inſigni familiâ Krycciorum orta, ægritudine valeſcente extremis admota, exhauſtis tãdem languore viribus, in mortem obriguit: deplorata ſupremis omnium lacrymis, diem noctemque inter mortis mancipia exegit; ſed poſtea pietate nonnullorum ad Imaginem Zdźieſʒouienſem recurrente, Deiparæ oblata, ac eiuſdem interuentu è feralibus lethi clauſtris manumiſſa, vitam quam abruperat, reſumpſit. Narrauit ipſa ſub Iurisiurandi nexu A. R. P. Felici Duranio, multiſque audientibus, extremo illo agone conflictanti ſibi, occurriſſe informem Dæmonũ turbam, ad aucupia exeuntis animæ intentam; ſed optimæ Virginis occurſu repreſſam, turpi fugâ in latebras reuolaſſe; ſe verò Deiparæ voce de vitâ iterùm capeſſendâ admonitam, eiuſdem poſtea munere redonatam eſſe.

Defuncta Matrona, obuios Dæmones videt; à quibus per B. V. liberata vitæ reſtituitur.

17. Anno eodem. Nobilis Staniſlai Wáliſʒewski, de Villa Orla, Filiola nomine Dorothea valetudine correpta, ne quidquam valentibus Machaonis artibus, à morbo in mortem tranſijt: & poſt ſuetos Parentum eiulatus, mortuali peplo

plo amicta, binas horas feralem amictum, non dubiæ mortis indicem, circumtulit. Victus interim dolore Pater, in campos digreditur, vt arctato luctibus cordi solatia è pratorum aspectu conquirat, vel ambulando palantes luctus in auras dispergat: dumque & gressu, & animo vagus, huc illuc oberrat, incidit felici mentis excursu, in Imaginis Zdźießouiensis memoriam; cuius Magnalia recolens & versans, ipse etiam audaci desiderio paria dona occupat; Deiparamque humili prece interpellat, vt simile Theatrum domi suæ explicet, in quo Actrix eiusdem potentia, memorandam sæculis omnibus scenam exhibeat. Hæc ille abrepto per amoris Imagines Paterno corde, magis quod fieri possent, quàm quod facienda speraret, dum cogitat & vouet; ecce regredieti filiola occurrit, malè iam cum fatalibus, quæ adhuc innodatæ hærebant fascijs composita, & suffusis modico rubore genis, mortis quam vicerat, pallorem auersata. Itaque soluitur in lætitiam parens, & voti reus absque morâ Filiolam nobiliori Parenti, in Ecclesiâ Zdźießouiensi exhibet; ordinemque elusæ quæ iam domui suæ illuserat Mortis, coram A. R. Matthiâ Budźißouiensi Szymanouiensi, Felice Duranio Borceñ Plebanis, Iacobo à Rydźino Vicario Borcensi, alijsque plurimis palam pandit & celebrat.

Puella Mortua Mæstis, & vota pro vita illius nuncupātibus Parentibus Rediuiua, occurrit.

18. Anno 1624. Regina Leśniowa de Oppido Buk, irruentium morborum lanienæ diutiùs obnoxia, gladiatorium quendam circum, in seipsâ aperuisse visa fuit, in quo concurrentia dolorum agmina, de miseræ vitâ decertarent: nouissimè magnitudine & varietate pathematum victa succubuit; & cùm quatuor diebus elinguis, ac omnibus capta membris miseram traxisset animam, eâdem demùm sopitis tātâ cōuulsione viribus eiecit. Accinguntur ad Iusta persoluenda qui aderant, rigidumque fatali torpore cadauer, exequijs & busto accommodant: cùm è diuerso aliqui, sanguinis vel amoris nexu mortuæ deuincti, reddendæ eidem vitæ cupidine inardescunt; & quia tota Naturæ vis, confusas patenti morte redordiri negabat vias, vota & spes suas in sola Beatissimæ Virginis potentiâ defigunt. Huic ergo acclines, Imaginem Zdźießouiensem corde adeunt, & supplici prece Virginem exorant, liceret ad præsens suo adiutorio, verius quàm olim Æneas Sybillæ fretus comitatu, manium sedes mortuæ euadere. Vix vota cum suspirijs & lacrymis effuderant, cum defuncta sibi mundoque reddita, in vitam simul ac Virginis laudes respirare cœpit; ac paulò post ad Imaginem Zdźießouiensem delata, portentosam à tot morbis ac morte libertatem, gratâ prædicatione, in omnium notitiam transmisit.

Mulier quam diuturni & atroces morbi confecerant, oblata Zdźießum resurgit,

19. An-

19. Anno 1627. Lucæ Ruchocki Oppidani Strzelnensis Filia quadrima, dum temerè per cõpita oberrat, ferox equus decussis habenis ac sessore, in apertum illatus, obuiam puellam impactis aliquoties calcibus elisit: ac tenellos spiritus, ictûs violentiâ abrupit. Defertur domum liuidum, corruptique mox sanguinis affluxu tumidum corpusculũ, ac ingeniosâ parentum pietate modis omnibus refouetur; nulla tamen sensus vestigia, effrenis vngulæ obtrita vestigijs, edere potuit puella: diemq; ac noctem integram, in apertissimæ mortis rigore, spirationis omnis ac motûs inanis durauit. Serò mœstos Parentes pupugit Imaginis Zdźiešouiensis memoria, pronis statim in Virginis demerendæ studium animis accepta; Hanc enim votiuâ pietate complexi, & multis precibus in filiolæ auxilia, euocare connisi, celeriter desiderijs suis occurrisse senserunt, dum Puellam, quam impotens equus, in fata protruserat, reducem in vitam, sanamque receperunt; ac deinde sospitatrici Virgini, cum lacrymis in Ecclesiâ Zdźiešouiensi præsentârunt.

Occisa ab equ° feroci puella, postridie demum ope B.V. implorata reuiuiscit.

20 Eodem Anno. Ioannem Gunćiarz, asperato tetris nubibus cœlo, excussum fulmen transadegit, vitamque noxio afflatam igni intercidit: ambustum cadauer, ac inductâ totis artubus fuligine, horrorem spirans, nullo manentis animæ

 indi-

indicio, ad ſuprema componitur, vt quod æthereo igni deflagrauerat, terræ illatum in cineres, & fauillam dehiſceret. Quatuor integras horas deformi ſimulachro, manifeſtæque mortis imagine præſentes ſtupefecit; cum Dorothea Cõiunx, alijs amoris accenſa flammis, in deuotas preces ardeſcere, & vota pro ſalute mariti fundere; totoque corpore humi ſtrata, Clementiam Deiparæ, quæ ad Imaginẽ Zdźieſsouienſẽ pluribus ſeſe venditat prodigijs implorare aggreditur. Tũ verò alia mox Cataſtrophe; recurrit, paulatim ambeſis edaci flammâ artubus vigor, & languido primùm motu, corpus cieri, poſt vbi indita à morte totaliter depuliſſet vincula, libero ſenſuum munere explicari incipit. Ita deuotâ vxoris fide, largâ Deiparæ ope, vitam iterùm auſpicatus Ioannes, ad Eccleſiam Zdźieſsouienſem feſtinat, & publicâ tanti Beneficij confeſsione, ad celebranda Virginis Encomia, omnibus præit.

Fulmine tactus poſt horarum quatuor ſpatiũ, vitam reſumit.

21. Anno 1628. Catharinæ Staniſlai Chalbicki de Czárkowo Coniugis, nondum biennis filius, dum innocenti ſimplicitate foribus inſidens, earundem motu ac titubatione vehiculum imitatur, reuulſis repente cardinibus ruinâ oppreſſus, animam exhalauit. Exciti cadentium ſonitu poſtium Parentes accurrunt, ac reuolutis foribus ingenti pondere quaſſatum filiolum reperiunt,

periunt; distractaq; & lurido atrata colore membra, gremio leuant, lacrymis rigant, omni conatu in vitæ vsum flectere & aptare tentant. Subit postremò in vana tendentibus Deipara, Zdżiesouiensi Imagini portentoso curationum genere Maiestatem concilians: nec vlla pronior solatij vita ratio, quàm si intercepta tenero corpusculo anima, per hanc felicem cœli portam è superis, felicius quàm abacti olim sub terras manes (si fides fabulis) per Corneam portam ab inferis, in mundum reuocaretur. Ergo funduntur in genua, & Magnæ Dei Matri facti supplices, extinctum Filiolum in sinum eius, quæ vitam totius mundi sinu portauit, deuotè iaciunt; animanteque mox Virgine viuum, ac festiuo ore renidentem accipiunt: quo ad Ecclesiam Zdżiesouiensem delato, euentū prodigij coram RR. Gregorio Gliński Sremensi, & Adamo Borcensi Concionatoribus, in præsentia multorum fideliter retexunt.

Infans pondere cadentiū foriū oppressus, resuscitatur.

22. Anno 1629. Ipso Assumptæ in cœlum Virginis solenni, Comparentes in Ecclesiâ Zdżiesouiensi, Laboriosus Stanislaus de Villâ Wyskowo Hortulanus cum sua coniuge, cadentibus lacrymis recognouerunt; sese immoderantiâ gulæ pellectos, ipso Diui Ioannis Præcursoris Peruigilio, diuersis à præscripto Ecclesiæ cibis indulsisse, ac insu-

ac insuper nullâ tantæ solennitatis curâ tactos, ipso festo rusticâ temeritate solitis laboribus intendisse. Adfuit in continenti vindex tantæ irreuerentiæ Numen; à meridie enim coorto vehementi turbine, filiolus vnicus, duos & medium annum natus, inuiso correptus impetu, subito disparuit; & mæstos parentes, quorum spes illo nitebantur solatio, immani mœrore perculit. Sedatâ tandem ventorum rabie, redditâq; àëri malaciâ, dilabuntur ad conquirendas elisi vspiam filioli exuuias; & duabus horis circumcursando consumptis, reperiunt demùm quatuor extra villam stadijs, inter palustres iuncos profundâ vligine mersum; & magnâ parte à vermibus, qui locis humentibus insueuêre, corrosum. Aberat ambeso tot aculeatis morsibus corpusculo non modò viuentis, sed hominis etiam species; cùm miseros Parentes erroris primùm pœnitentia, mox insueta de Bonitate Deiparæ fiducia incessit; ausos Misericordiæ Matrem supplici questu delinire, qui Iustum Iudicem Filium temeritate irritauerant. Valuêre preces & vota ad Imaginem Zdźiešouiẽsem directa; namq; mox exangui & exsucco puello, & color, & species rediit, marcidosque fatali torpore artus, viuidus spiritus subintrauit, Eum deinde læti parentes ad Ecclesiã Zdźiešouieñ deduxêre, & facinoris pœnæq; suæ, ac demũ gratiæ seriem ex ordine pertexuêre.

Violatores Festi Deus punit, & vnigenitum immisso turbine abripit.

Inuentus post duas horas paludi immersus post facta ad Imaginem B. V. vota, recipit vitam, & sanitatem.

23. Cir-

23. Circa eadem Tempora. Generosi Domini Bułakowski familia, cum adiacentes Villæ Bułakowo Piscinas Lecticâ præteruehitur, errore aurigæ, seu fortuito lapsu euersa rheda, decussos in piscinam qui insederant, ruinâ sui obruit: diutius cum limi tenacitate luctati, quêis valentior corporis habitus, tandem emersêre; verùm interim filiolum triennem Domini Bułakowski eodem lapsu præcipitem, dum ipsi eniti laborant, magis luto implicùére. Redeunt ad aulam innocuo (vt putabant) tanti cassû euentu, & sua quisque facta, ac fortem in superandâ vligine operam memorantes; nec abesse tamen Herilem filiolum, segni oscitantiâ ad alia dilapsi aduertunt: serò tandem redeunte eiusdem memoriâ tacti, dum in Gynæceo ac tota aulâ conquisitum non reperiunt, ad piscinam concito gradu redeunt; & luto immersum, socialique ruinâ ac nitentium calcibus obtritum, & membris omnibus cruentatum extrahunt. Nulla vitæ apparebant indicia, donec ad Fôtem vitæ cum eo recursum, quem fatalis piscina hauserat: ita Deiparæ ad Imaginem Zdzieſiouiensem oblatus, spiritum ac sensum recepit, & continuatâ per plures annos ætate, Religiosam deinceps vitam amplexus est.

Excussus rheda puer, ac luto per inaduertētiā præfocatus, post multi temporis spatium ad vitam reuocatur.

24. Anno 1633. Adamus Grudzik, Ciuis & Pistor Posnaniensis, dum subigendo pani in hy-

Lapsus fortuitò in dolium aquæ plenum puer, non aduertentibus Parentibus; per supplicia illorum Vota, redonatur vitâ.

pocausto, iuuante maritum coniuge nauat operam, paruulus natus per atrium vagus, dolio aquâ pleno illapsus, diem extremum inuenit & clausit: incumbunt cœpto labori parentes, fata pueri nullâ coniecturâ odorati; cùm procurrens in atrium Mater, videt filium extantibus dũtaxat dolio plantis, toto reliquo corpore aquis intinctum & mersum. Rapit amore amens effocatum corpusculum; sinu, calore, halitu, diuersisque adhibitis fomentis sopitos spiritus suscitat; & tandem fatiscente industriâ, Germano suo ad procuranda suprema tradit. Ipsa interim vrgente amore, in maiores resoluta ausus, secretũ cubiculum subintrat; & soluto crine, passisq; manibus humi prouoluta, cœlum clamore, terram corpore pulsans, MatremMisericordiæ in sua solatia precib⁹ trahit; & felici sanè euentu: Filiol⁹ enim ad Imaginem Zdźieśouiensem oblatus, repentè vndas quas biberat regurgitauit; ac intermissam lucis vsuram fauore Deiparæ feliciter reincepit.

Puella demersa diutius in aquis vitam auspicatur.

25. Anno 1632. Generosa Domina Lucia de Zbaśyn Molska, interpositâ Iuramenti Religione coram R. Felice Duranio, alijsque Præsbyteris ad Ecclesiam Zdźieśouiensem degentibus deposuit; Septennem puellam, nomine Dorotheam in profundum puteum deciduam, nullo suppetias ferente mersam esse; cùm diutius non compareret, sollici-

sollicit parentes, tacito alicuius mali icti præsagio, ad requirendam filiam disperguntur; nec quoquam infausti casûs reperto nuncio, fortuitò puteum accedunt; & fluitantem resupino corpore filiam, aquis eandem quam merserant, post fata reuomentibus, aspiciunt. Soluitur in lacrymas victa dolore vtriusque Parentis pietas, & aquarum puteum, præceps fatum, obliquum delicijs suis æthera, indigno eiulatu flagellat; tepentique oculorum vndâ, corpus quod frigida putei gelauerat, nequicquam irrorat. Spectabat afflictorum planctus, prædicta Generosa Domina Molska, in eundem calamitatis sensum miserando attracta; cumque verborum solatijs lenire, in luctum laxatos Parentes nequiret, aggreditur maius naturæ viribus opus, & Misericordiæ Matrem, voto ad Imaginem Zdźiebouiensem facto, magnâ fiduciâ interpellat; neu fineret geminato naufragio filiam aquis, Parentes lacrymis absorberi. Dixisses ad solam MARIÆ memoriam trepidam mortem relictis spolijs aufugisse; ac nomen illud quod STILLA MARIS interpretatur, demersæ instillatum puellæ, totam quam biberat lethen depulisse. Statim enim, subeunte membra vigore, trepido subsultu increpuêre venæ; incanduit accensus genis rubor; viuidi artus facili iam ductu reinsertæ sensêre vim

Decidua in puteum puella, & serò demũ inuenta supernatans, à morte ad vitam reuocatur.

Maria significat Stillam maris, iuxta Lusium Alcazar. in cap. 12. Apocal.

animæ; donec paullò post integrè abolitis, quæ aqua peccauerat, plenâ sanitate puella potita est.

Occisus, & per tres horas mortuus reuiuiscit.

26. Anno 1638. In Villa Ockowo, dum festiuus hymen promiscua agitat tripudia, illis etiam nuptijs fatale Eridos pomum discordia iniecit; herilis enim famulus bile & mero ardens dissidium excitauit, ac in Adamum eiusdem Villæ Hortulanũ cæco impetu ruens, Dentatã quâ pro more famuli vtuntur clauam, tantâ vi temporibus eius incussit, vt statim cassum animæ corpus corruerit. Concurrit ad subitam cædem frequens quæ aderat turba, pars à nuptiali Hymeneo in flebiles lessos versa; pars refouendo spiritui, qui illo ictu intercisus duntaxat credebatur non elisus, intenta. Trinas horas inanè conantium fragor laborque tenuit, nec vllis liquoribus ac remedijs profugæ animæ sensus excitari quiuit; donec Sacerdos quidã cognomine Dolcowski, Tragædiæ illi præsens, suos aliorumque oculos ad Deiparam flexit, & oblato ad Imaginem Zdżießouiensem occiso, vitam eidem obtinuit. Huius facti fatique seriem is ipse, qui clauæ & fatali ictui, succubuerat, coram Rñdo Adamo Sremensi Notario Publico pertexuit.

Alter mortuus, ac duas horas sine animæ sensu iacens reuiuiscit.

27. Anno 1639. Laurentius de Wilichowo, ægritudine consumptus diem clausit extremum: lotum communi gentium more cadauer, in ferali pe-

li pegmate locatur, & totius familiæ studijs suprema adornantur: sola coniunx conuersis ad mortis officia cunctis, felici præsumptione vitæ negotium coquit; & toto corpore humi pãsa, Deiparam semper & vbique miram, ad Imaginem tamen Zdźiekouiensem, mirabilius potentis misericordiæ dona iactantem, super mariti fato lacrymabili prece fatigat. Binas iam horas mortuus, per habitata manibus spatia errabat, cum Virgineâ benignitate amissum reuocatur in orbem; & beneficij memor, vitam datam per Virginem plaudit, publicat, authenticâq; coram Notario Publico testificatione celebrat.

28. Anno 1647. Matthias puer Ioannis Dos Coloni, & Margarethæ de Villa Goździkowice filius, morbo Comitiali correptus, eodem agitante in piscinam cecidit; & intercepto vi morbi sensu, cum sinuari in vitæ subsidia nequiret, Epilepticam iactationem fato terminauit. Diu iam sub aquis latuerat, cum regurgitantibus eiectus vndis, ac in extima piscinæ enare, superferrique visus, miseratione affluentium protrahitur; tam enormi specie, vt formidinē primo intuitu spectãtibus incuteret: hirudinum enim morsibus appetitus, oculos, aures, nasum & labra amiserat, quêis diutius inhærens verminaria colluuies, sese saginauerat. Duabus ita horis spectaculo, & horrori

Demersus puer & in aqua à vermibus corrosus.

rori fuit, cum Generosus Dobieiowski, vnâ cum suâ Coniuge pridie ab Ecclesiâ Zdźieśouień reuersus, superuenit; & indigni fati attrocitate euictus, in pios erga Virginem affectus erupit, innouarique sueta MARIANÆ potentiæ argumenta, magnâ fiduciâ popoſcit. Attulerat secum globulos precarios ad Imaginem Zdźieśouiensem affrictos; eos ergo corpori demersi, & à vermibus demorsi inijcit, ac sistendũ in eadẽ Ecclesia, si diræ mortis expediretur nexibus pronũciat. Vix vota finierat, cùm puer gemitus ex alto ducere, flebilique murmure miserias suas solari; ac paulò post abolitis quæ vermes inflixerant vulneribus, integrè valescere. Eum postea idem qui vota nuncupauerat D. Dobieiowski, comitante vtroque Parente, ad Imaginẽ Zdźieśouiensem deduxit; & miraculi Ordinem suo Parentumque Testimonio firmatum, in fastos Ecclesiæ consignari fecit.

Iniectis globulis precariis ad hanc Imaginem affricatis reuiuiscit.

29. Anno 1640. Generosi Domini Bieganski coniunx Sophia, diutius in partu, dolorum remorâ pressa, exanimi tandem fœtu ipso Parasceues die edito, totius domûs spes, solatiaque sua interuertit. Vrgent maiores post effusæ sobolis luctam angores, infelicem Matrem, quæ non tam vterum hactenus, quam bustum tulerit; filioq; in auras eiecto, fatalem pro natali diem, dolendâ

Fœtus inanimis in lucem editus animatur.

con-

conuersione substituerit. Aderant Puerperæ Nobiles Dominæ Marianna Wilkońska, & Sophia Poradowska, ad laborantis subsidia intentæ; eæque vbi non satis effotum fœtum, loco Deæ Cuninæ ab obstricante Libitinâ interceptum vidēt, duabus horis circa inania pueri fomenta consumptis, ad superna remedia dexteriore conatu vertuntur; nec iam Latonam fabulis, & Poëtarũ mendacio insignem, sed veri Dei Matrem, deficientis naturæ iuuamini, suppliciter aduocant. Non frustrata est spes flagitantium, totius humanæ spei Anchora, imò prima vt aiebat Bernardus, totaque post Deum spes nostra. Vbi enim ad Imaginem Zdźiesouiensem nuncupata sunt vota, protinus puer, quam Mater negauerat, à Virgine consecutus est vitam; & ad eiusdem Virginis Imaginem gratanter delatus, Matre Deiparæ Magnalia præconizante, spectaculo multis, solatioque fuit.

30. Anno 1620. Generosi Matthiæ Chylicki Coniunx, dum puerperio laborat, & doloribus pressæ sollicita Mater, ac tres Pedissequæ aduigilant; tertio Pentecostes die, terrâ spissatum nube cœlum, dirum fulmen in ædes puerperæ contorsit; quod thalamo illapsum, omnes qui aderant, fatali ictu strauit. Puerpera pectus, & sinistram manum veluti adacto cuneo terebrata, Mater ca- Tres fœminæ ictu fulminis simul occisæ, ad vitam redeunt.

ter cadentis flammæ vapore auditu exuta, Pedisſequarũ vna toto corpore ambuſta, mortuæ aut mortuis ſimiles iacuêre. Diutius licet adhibitis fomẽtis, in vitam ſeu vitæ ſenſum retrahi nequiuêre; donec lamenta & curæ Domeſticorum in deuotionem verſæ, atroci fato remedia, à Virgine Matre quæſiêre. Valuit aliena pietas, vt mortuis vel ſpiritu interciſo in mortis imaginem rigentibus, Miſericordiam Deiparæ, vitamq; ſimul attraheret: poſtquam enim ad Imaginem Zdźießouienſem flebilibus oblatæ ſunt votis, excuſsêre ſtatim lethalem quo ſepultæ fuerant torporé; & nullo tanti ignis damno, vitam cœlo fulminante abruptam, cœli Dominâ fauente reſumpsêre; ac ad Eccleſiam Zdźießouienſem delatæ, MARIANAM Potẽtiam, conſono præconio celebrauêre.

Plures mortui ad hanc Imaginem voto facto reſuſcitati breuiter percenſentur.

Sunt alij plures qui Deiparæ ope ad hanc Imaginem inuocatâ, iniecta iam à morte vincula, feliciter exuerũt: ſed næ chartam & Lectorem onerarem, eos duntaxat famulante Virgini pennâ, in huius libelli cenſum redegi, quos notabilis caſus, & mortis genus ſpecialius inſignijt. Cæterum næ Mariophilorum pietas deſideret, quo æſtuantem Virgineæ cupidine gloriæ ſitim reſtinguere poſsit; addo ſummatim nonnulla portentosè ad Imaginem Zdźießouienſem ſuſcitatorum exem-

exempla, ex Archiuo Ecclesiæ, Authenticisque monumentis excerpta. Anno namque partæ salutis 1599. in villâ Bruczkowo, biennis puer aquis haustus, cùm vltra duas horas lethali obrutus gelu iacuisset (prout eundem ipsemet Rñdus Felix Duranius vidit) ad Imaginem Zdźiesouiensem oblatus, mirabiliter reuixit.

Enumerantur varij alij Mortui, ad hanc Imaginem ope B. V. resuscitati.

Anno 1613. In Villa Zychowice ortâ lite, tres mutuis vulneribus concisi & exanimati, recursu ad hanc Imaginem facto, in vitam rediêre, & personaliter ad eandem delati, receptæ vitæ munus palam prædicauêre.

Anno eodem, Heduigis Alberti Hortulani de Maligow filia, Feria secunda Pentecostes in flumen lapsa, duasque integras horas alueo fluminis detenta, Deiparæ in Zdźieß Dignationem suam ostentantis, inuocatâ ope, à Morte emersit.

Anno 1617. Nobilis Domina Suchorzewska, diutius in puerperio luctata, ac inanimum fœtum enixa, voto ad hanc Imaginem facto, viuum læta, grataque vidit.

Anno 1621. Adamus Kasek de Villa Krzywino filiolū, incautius iniecto tomento suffocatū.

Anno 1622. Ioannes Molitor Babimostensis, filiam Heduigim aquis sorptam, & plùs horæ spatio in profundo subsidentem.

Anno 1625. Anna Fabri ferrarij de Czerwonawieś Coniunx, filiam similiter aquis effocatam.

Anno 1633. Anna de Villâ Borzećicki, filium negligentius in strato relictum, ac superiectis puluinaribus oppressum, cùm ita à primo diluculo, ad medium diei sepultus iacuisset.

Anno eodem. Anna Fabri ferrarij de Villâ Ieżiory vxor, filium in vitam sine vitâ effusum, & duabus horis, omnibus vitæ signis destitutum viuum recepit.

Anno 1640. Stanislaus Paczesny Ciuis Grodźiscensis, filium ex alto in præceps lapsum, & collisis membris, mundo simul vitâq; elisum.

Anno 1641. Margaretha de Villâ Łagiewniki, Euam filiam sexennem, in puteum deciduam, & illîc pluribus horis detentam.

Anno 1643. Anna de Villâ Gronowko, fœtum vltra horam post salutatam lucem, lucis vitæque expertem.

Anno 1644. Eua Kralká de Villâ Kępsko, fœtum itidem morti prius quam vitæ initiatum.

Anno 1647. Blasius Drozd de Villâ Zułtowo, Dorotheam filiam nouennem in piscinâ mersam, & aliquot horis spiritu vacuam: post facta ad Imaginem Zdźiebouiensem vota, viuos, sanos, valentes recepêre, & Sospitatrici Diuæ stitêre.

Placuit nouissimè recensitis ijs, quos ad nutum

cum Deiparæ Tartarus, poſtquam intercepiſſet manumiſit, perenne aliquod tantæ Virginis potentiæ Trophæum erigere: Ergo Triumphatrici mortis, attexo Hieroglyphicon, à Religioſo Patre Sebaſtiano Carmelitâ diſcalceato Polono, in firmamento Symbolico inuentum. Pinxit ille erudito penicillo Pratum, totius Floræ diuitijs excultum, & in modum felicis Hymetti verſicolore florum elegantiâ luxurians; quod poſtquam maligna afflauit vredo, enectis ſtatim marcido languore herbis, omnes vernantis prati riſus triſti deliquio corupit; & illi delicato florum agmini, feralem pallorem inuexit. Imminebat ſupernè roſcida nubes, leni ſtillantem profluuio imbrem, velut nutritijs vberibus exprimens; cui obuerſi hiantibus labellis flores, felicitatem priſtinam ſuſpirabant; & illo amicæ nubis irriguo, attolli poſſe in amiſſum decus, ſucciſa vredine ſua capita ſperabant, prout eoſdem addita ſolabatur Epigraphe, *Eriget Irriguum*. Pulchrum enimuerò ad commendationem MARIANÆ in animandis mortuis potentiæ inuentum: quid enim miſeri mortales ſumus, niſi caduci flores? vanis fortunæ pigmentis, in breue ſpectaculum, ac ephemeram interdum ſcenam adcompti? quibus vbi ſiniſter aliquis Notus incubuit, aut modicæ febriculæ æſtus rubiginem attraxit, tota illa

Aptum Reſuſcitationis Deiparæ Symbolū Nubes Roſcida, emortuos vredine flores animans.

B V. præfigurata in nubeculâ, Eliæ visâ. ex qua delapsa est pluuia grandis.

pictæ felicitatis pompa, fatali castigata languore, in puluere dehiscit. Sed ecce suggerit, opportuna lugubri horumce florum deliquio solatia, Amica nubes, Deiparam intelligo; sic enim eādem olim proludens in figuris Deus, sub specie nubeculæ, ante Eliæ conspectum stitit. *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari*; prout Eliani instituti alumnus, Hierosolymorum Patriarcha, Ioannes asserit: *Reuelauit Deus Eliæ quod quædam infantula, scilicet* B. MARIA *per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parua, nasceretur de humanâ naturâ peccatrice, designata per mare*. Sic non multo post Isaias Diuino afflatus spiritu, dum Incarnati Numinis in terras aduentum describit, Deiparam nubis Vmbraculo conuestit; *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem. Significabat* (inquit Ambrosius) *Dominum* IESVM *in Nube venturum leui, hoc est in Virgine* MARIA, *quæ Nubes erat secundùm hæreditatem Euæ, leuis erat secundùm Virginis integritatem*. Felix profectò & ferax bonorum nubes; quæ non modò supernas ardescentis in vindictam Iustitiæ flammas, obiectu suo discutit ac restringit: verùm fortunatum imbrem Aurato illo, quem olim *Rhodiis nascente Mineruâ, indulsisse Iouem perhibent*, meliorem terris irrorat. Hûc

3. Reg: 18.

Ioannes Hierosol: lib: de Instit: Monac cap: 32.

Isaiæ 19.

Ambros: in Psal: 118. sermone 5.

Claud: lib: 3. de laud. Stillíconis.

ô quot-

ô quotquot funesto atrati pallore in mortem lãguistis, animati dicam an exanimati Flores, demessas attolite ceruices; occurret facilè vobis Deipara, & stratas noxio Libitinæ halitu, vitæ gemmas, MARIANVM ERIGET IRRIGVVM.

CAPVT V.

Pertexitur Catalogus eorum, qui vel cæcitate percussi, vel quouis modo luminibus capti, facto ad Imaginem Zdzieszouiensem voto, oculorum & lucis vsum recepêre.

AVspicatum omnibus lucis ac visus indigis MARIÆ Nomen est, vt potè quod ipsâ sui Etymo lucem aspiret & proferat. MARIA (inquit Albertus, Doctrinâ, Vitâ, Tiaræ dignitate verè Magnus) *interpretatur Illuminatrix; si ergo circumdatus es tenebris, & absconditæ est tibi via tua*, Iob 3. *respice Illuminatricem, nomina MARIAM.* Et quid hominibus tetrâ cæcitatis nocte spissatis, iucundiùs ingeri potest, quam

Albertus Magnus in Caput I. Lucæ.

Sacratissimum Nomen MARIÆ Illuminatricẽ sonat.

amicæ lucis memoria? eam dum ipſo vocis ſono euulgat MARIA, indubiam omnibus cæcâ caligine merſis ſpem ingenerat, quod deriuatum à Luce Nomen, in alios quoq; lucis huius, quam ipſum trahit, transfundet originem. Et verò neſcio quâ occultâ vi diſsipat tenebras piè Nominata MARIA; & inumbratos alicuius vitij aſpergine viſus efficaciter optatæ lucis radijs imbuit, ac velut detracto velo in apertam rerum cognitionem mittit. Venerat amoris acta impetu ad Chriſti tumulum Magdalene, & ſepulchro adfixa, ſuperfluis iam lacrimis ſublatum occiſi corpus deplorabat, quod viuum Dominus ipſe ſuſtuliſſet; adeſt interim ploranti alieno intectus habitu, qui plorabatur Chriſtus: ſed offuſo ſpectantis oculis ignotæ ſpeciei nubilo, nondum in manifeſtum ſui ſenſum, admittere flentem dignatus. Seruntur inuicem velut de abſente Domino colloquia, qui coram Magdalenæ oculis adſtabat; eoſdem tamen vago errore, næ agnoſceretur attinebat: donec referente Euangeliſta, *dicit ei* IESVS, *Maria*; & ſtatim vbi Nomen à Matre Virgine tractum, auribus plorantis inſonuit, totam quæ oculos Magdalenæ implicuerat nubem, prolatione ipsâ ſubmouit; *conuerſa enim illa* (inquit ſacer Scriptor) dicit *Rabboni*. Hem quanta Virginei Nominis poteſtas.

Ioannis 20.

ac Energia! quod auribus ingestum, oculos aperit, & discussâ quæ visum merserat caligine, in beatæ cognitionis libertatem euoluit & asserit. *Vbi* MARIA (inquit Origines) *audiuit* MARIA *præsensit in Nomine quandam singularem vocationis dulcedinem, & per eam cognouit ipsum à quo vocabatur Magistrum suum.* Audin miras prolato MARIÆ Nomine conuersiones? audin singularem quandam in hoc Nomine dulcedinẽ? deperijt statim omne, quod Magdaleis oculis errabat, ac in errorem trudebat nubilum; vanuêre adscititij, qui gementis lumina suspenderãt Christi vultus; rediјt optata notaque species, & direpto velut siparío, non fictam aperuit scenam; in plenumque suspirati tot singultibus Domini admisit delicium. Ecquis verò ad mirabile hoc MARIÆ Nomen aures non arrigat? quod sensum sui etiam ad oculos transfundit, illosque dissipatâ caligine, puræ & illimis Cognitionis luce collustrat. Meritò sanè Ecclesia MARIANO Nomini, participatum à Christi Nomine, adsciscens elogium, *Oleum* (ait) *effusum Nomen tuum*: satis enim patenter tot praxibus, Oleagina Nominis huius potestas emicat; cùm quemadmodum oleum ignem, ita Nomen hoc lucem nutrit & propagat; pretiosissimiq; vnguẽti ritu, affectos etiam visus vbi demulserit, omnes

Origen: Hom. de Magdalena.

Magdalena audito nomine MARIA, Christum sub habitu Hortulani latentem agnoscit illuminata.

Cantic. 1.

Nomen Virginis oleum, quia lucem nutrit.

mnes si quæ eisdem sident nebulas, feliciter detergit. Pulchrè ille solâ denominatione Idiota ad olei proprietates in Nomine MARIÆ relucentes alludit, dum inquit: *Super omnia Sanctorum Nomina Nomen hoc, reficit lassos, sanat languidos, Illuminat Cæcos, penetrat duros.* O verè illuminat cæcos! quòd non solùm mũdo Cymmerijs tenebris obruto, veræ lucis radium intulit, ac spirituales tenebras *Sedentium in umbrá mortis* euicit; sed corporali quoque obuium, & proficuum cæcitati, ad solam Imaginem Zdźiesouiensem, tot & tantos profligatâ quâ premebantur nocte, in lucis commercia immisit. Eos nunc, quò magis luminosi Nominis splendor eluceat, næuè deinceps aliquis hæreticâ officiente nube, ad tantam lucem, vel cæcis præeuntibus cæcutiat, breuiter pertexo.

Idiota in Contempl: Virgin. cap: 5.

Lucæ I.

Mulier cui verrucæ oculos vitiauerũt, visum recipit.

1. Anno 1603. Anna Kapina de Villa Koskowo, oculorum dolore diutiùs pressa, vsu etiam illorum exciderat: crassa enim albugo pupillâm inuadens, totam videndi aciem dissipauerat; ac noxiò superante humore, verrucæ quædam ex oculis prognatæ ac protuberantes, eorundem superficiem impleuerant. Spectabant multi Hippocraticæ sapientiæ arcanis imbuti, mirabiles abortientis Naturæ, in oculis miseræ fœtus; sed omnem illorum artem ac potentiam atrocitas mali su-

li superauerat; nec vllâ ratione superstantes pupillæ montes, deduci in planum sine conuulsione totius oculi poterant. Fortè pueri ab Ecclesiâ Zdźiesouiensi die festo reduces, Miracula Deiparæ per Ecclesiasten vulgata, tacito secum murmure retexebant; ea posteaquam cæca puerili ore excerpsit, Entheo quodam afflata spiritu, se quoque in parte Potentiæ Virgineæ numerandam, magnâ fiducia concepit; ac nouo iam intus collustrata lumine, externæ quoque lucis reditum audaci voto occupare cœpit. Rogat ergo omnes qui aderant vota sua precibus fulcire, & coniuncta socialis orationis manu, Misericordiam Deiparæ attrahere næ grauentur; præit ipsa humi genibus fixa, piamque loci ac Imaginis Zdźiesouiensis visitationem appromittit; & ecce coorto lenis venti sibillo, detractas ab oculis squammas verrucasque ruëre, & albuginem quæ Crystallino inundans humori pupillam infecerat, subitò vanescere sentit: iamque in possessionem vsurpandi luminis admissa, sequitur oblatam à Deiparâ lucem, & iter ad Ecclesiam Zdźiesouiensem, illo, quod inde sibi portentosè Virgo iecerat Radio, designante carpit.

2. Anno 1612. Regina Alberti Noe Rotificis Sremensis Filiola, expositum incautè cultrum nacta, ac eundem incautiùs puerili temeritate versans,

Puellæ oculus cultello effossus restituitur.

sans,

sans, acie oculo impactâ, pupillam perstrinxit; quæ statim mixto cum sanguine proflua, destinatam recipiendis speciebus aciem intercidit. Nullæ apparebant implantãdi rursus oculi, quem enormis ictus succiderat spes aut rationes; cunctis qui vacuum effosso penitus lucis receptaculo, orbem spectabant, succumbere tanto malo omnia Æsculapij sacra fatentibus: cùm Parentes & amicorum admonitu, & suopte instinctu, amputatam infelici cultro lucis portionem, à veræ Lucis scaturigine sperare mendicareq; incipiunt: nec iam fictum & fallò gloriantem Phœbum, *Inuentum medicina meum est, opifexq; per orbem Dicor, & Herbarum subiecta potentia nobis;* sed eam quæ toto in cœlis circumfunditur Phœbo Deiparam, super Filiæ casu supplicibus querelis fatigant. Vix corda votaque ad Imaginem Zdžiešouiensem effuderant, cùm effusum filiæ oculum nouus humor subintrat; & coëuntibus quas acumen cultri ruperat tunicis, limpidus qui deferendis rerum Imaginibus commodat succus, pupillã inundat; exiguâq; dũtaxat atrocis læsionis exstante cicatrice, Filiola integrè amissos visus recipit; & ad Imaginem Zdžiešouiensem, à Parentibus Gratiam Deiparæ buccinantibus, Dominicã quartâ post Pascha sistitur.

Ouid: lib: 1. Metamor.

Apoc: 12. B.V. apparuit amicta sole.

3. Anno eodem. Ioannes de Magnis Gorycijs,

ciјs, triennio integro oculis captus, cùm extrà omnem amicæ lucis vsum proximam vmbris silentûm traheret vitam, aliquando Portentosæ Imaginis Zdźieśouiensis notitia mærenti illapsa est; cuius deuotione tactus, tacitâ statim fiducia animum sustentari, ac velut certâ Virgineæ gratiæ expectatione demulceri sensit. Init igitur adhibito Duce viam, ampliùs eiusdem ductu non vsurus; & in Ecclesiam Zdźieśouiensem delatus, à Magnâ Magni Dei Matre, quæ generalem sæculis omnib⁹ peperit lucē, aliquē lucis fructū piâ mēdicitate requirit. Illîc dum incruento sacrificio deuotus intendit, paulatim ex oculis eius nubes quæ eosdem vmbrauerat subduci, & pupilla à crassâ infectione toxicata depurari, ac intuendi officia vibrato lumine expandi. Aderat supplicanti Rnd⁹ Iacobus Galenita, antea Parochus Smiećicensis, tunc Altarista Borcensis, precum comes, fiduciæ altor & fomes; cùmque præ gaudio recuperati visûs Ioannem penè sui impotem cerneret, multis præsentibus prodigiosam cæci curationem euulgauit; & ad celebranda Virginis Magnalia, tam euidenti demonstratione firmata, inuitauit.

Triennio cæcus ad Imaginem orans recipit visum.

4. Anno 1613. Immediatè memoratus R. Iacobus Galenita, interpositâ Iuramenti fide, manantibus præ pietate lachrymis deposuit, adijsse

Alter 4. annis cæcus, dū pul. uere ex pauimēto sumpto oculos illinit.

Ecclesiam Zdźiebouiensem, Hominem quatuor annis videndi solatio destitutum; & fugandæ quæ miserum opacauerat caligini, inito secum consilio medelam popościsse. Suadet ille, ab humilitate & fide consilium mutuetur; & Incarnati Dei virtutem, qui per extremam vestis suæ fimbriam morbos fugare, qui Petri leuem vmbram medicandi vi imbuere, Pauli semicinctia ac sudaria ad portentosam Curationis potentiam eleuare potuit, in minimis requirere tentet; Ecclesiamque ingressus, luto vel puluere de pauimenti marmore lecto, humiliter & fidenter oculos perungat. Paret monenti cæcus, diuturnæ calamitatis sensu in ardua quæque promptus, & ad Ecclesiam properus, ac ipso in limine templi, toto corpore pronus, vultum in puluere defigit; eundemque ore lambens, oculis magno cum pietatis æstu admouet. Dixisses Deiparam communem omnium Matrem, hirundinum cæcatos pullos medicantium ritu, Chelidoniam affectis illius oculis admouisse; mox enim à pulueris contactu noxia quæ visum atrauerat lues fatiscere, lux oculis infundi, & ipse liberos iam obtutus, ad eius, quæ liberauerat, Imaginem erigere cæpit; factumque & facti seriem lætus & gratus prædicauit.

Eosdem recuperat.

Mulieri corrupti dolore oculi redduntur.

5. Anno eodem. Heduigis Mielcarkowa de Ciuitate Costensi, grauissimis capitis & oculorum agitata

agitata doloribus, cùm tota vis mali, mordaciſſimæque acredinis oculis incubuiſſet, eoſdem ruptis impetu doloris membranis amiſit; eò miſerior, quòd poſt exeſos dirâ ſalſugine, elacrymatoſque noxiò humore oculos, caſum ſuum lacrymari deinceps non poſſet. Degebat ita ad perpetuas damnata tenebras, ac geminâ mœroris cæcitatiſque nocte obruta; nec miſeriæ modum, vel cæco illo labyrintho euadendi rationem reperiebat; donec felicior fabuloſâ Ariadne occurrit lugenti Deipara, cuius imploratâ ope, votoq; ad Imaginem Zdzieſʒouienſem facto, certiùs MARIANO auxilio, quàm olim Theſeus directore Ariadnes filo, è tantis ſeſe malis euoluit: mox enim ſuccreuêre, quæ iam crepuerant oculi inuolucra; hiantes cauique Orbes, implente obducti ſunt cartilagine; & nouæ nouorum luminum faces, mirabiliter redditæ, fronte exarsêre.

6. Anno 1614. Anna de Korytnica ipſo primæ ætatis flore, videndi facultate perditâ, damna oculorum in prouectam vſque ætatem, & annum ætatis quinquageſimum extraxit. Iam inolita noxæ vis, ſupra omnes vires robur egerat, nec feſſa ipſis remedijs, (quò maiore copiâ adhibebantur, eò magis ſubſidij inopibus) mulier quidquam expectabat, niſi vt continuato tene-

In pueritiâ oculis capta, & ad Annum 50 cæca. Viſum recipit.

brarum horrore, ad cæcam mortem, haud ipsa ab-similis transiret; cùm inuitatu suasuque aliorum ad Ecclesiam Zdźiesouiensem delata, eamq; Dominicâ quartâ à Paschate subiens, in ipso statim limine offerri sibi deploratam lucem experitur; ac primùm velut detractâ cortinâ, explicari in rerum notitiam, insperatam oculorum aciem; fenestrasque Ecclesiæ (vt visum à Felice cœli Fenestrâ illapsum constaret) oculis suis incurrere miratur; mox ad Imaginem Virginis propera, pleno iam visu Auctricem visûs videt, & in debitas effusa gratias, nouitate Miraculi omnes implet, ac stupefacit.

Puella cæcata dum ad Ecclesiá hanc ducitur, oculi eius aperiuntur.

7. Anno 1615. Anna Puella de Grodźisko, offundente oculis caliginem morbo, diutius spectandi voluptate caruit: altius penetrauerat Humor Peccans, quàm vt remediorum virtute discuti vacuarique posset; & inanes conantium artes, maligno fretus robore despectabat; placuit igitur altioribus eum vrgeri modis, & à Deiparâ, quæ generale sæculis omnibus tulit antidotum, cõtumaci malo opem peti. Ducitur Puella ad Imaginem Zdźiesouiensem; cùmque villam Iezowo Oppido Borcensi vicinam, comitum sustentata ministerio pertransit; ecce repente diductis in tuendi copiam palpebris, Ecclesiam Zdźiesouiensem, (quæ iam felici proludio oculis eius sese in-

se insinuerat) mirantibus qui aderant ostendit, ac eandem deinde subintrans, & coram Imagine Sanctissimæ Virginis facta supplex, perfectam visûs felicitatem, vanescente omni noxiæ affectionis nube, in præsentia R.P.Gorecki, Ord: Minor: Cõuentualiũ S. Francisci Guardiani Pyzdrensis, ac totius, quam de Ciuitate illâ duxerat, Chordigerorum sodalitatis, adipiscitur. Itaque producta statim in publicum Puella, & ipsa factum euulgat, & dictus P. Guardianus luculentâ Oratione, ad gloriam Deiparæ, miraculum celebrat.

8. Anno eodem. Sophia Venceslai Coniũx, tenuiore adhuc æuo, vnius oculi lumen amiserat, & Polyphemi in morem monocula, annum ætatis quadragesimum attigerat. Valuit diuturnitas temporis, vt malum velut legitimâ præscriptione defensum, interceptâ semel oculi Possessione deijci nequiret; & iam negligebantur remedia, contra veteranam cæcitatis potentiam frustra Tyrocinium exercitura. Subit tandem illa, suasu & societate amicorum tracta, Ecclesiam Zdzießoulensem; illícque Potentiam eius cui nihil est impossibile Virginis, domando quod inualuerat malo, multis gemitibus interpellat; & in continenti obortâ luce, collustrari oculum, æmuloq; alterius igne scintillare, ac intermissã videndi copiam retexere sentit, lætatur, prædicat.

Mulier quæ in pueritia vnum oculum amiserat, eundem quadragenaria recipit.

9. An-

9. Anno 1616. Ioannes Łuchćinski, Magnifici D. Máłáchowski Dapiferi Posnaniensis Oeconomus, de villâ Gozdieiowice, valetudine oculorum pressus, vsu quoque illorum penitus exciderat; ac extra omnem diei fructum positus, toto triennio continuatam noctem agebat. Quid faceret miser, in eas positus latebras, quas Sol declinat, nisi propius Æquatore sisteret, lucis simul propinquaturus? MARIAM igitur Virginem, quæ DEVM æquauit & Hominem supplex petit; ac eius Zdźieśouiensem Basilicam, coniuge viæ mærorisque comite deuotus adit. Dies imminebat, quo Assumpta è terris Deipara nouæ lucis augmento cœlos illustrauit; felici sanè miseri auspicio, qui non vanè iam spe diuinante, affuturam sibi pariter lucem occupabat, atque cœlis hoc die accesserat. Adest interim toti pridianarum Vesperarum pompæ, inter preces ac lacrymas vota fundens, & votorum anxius: cùmque Filius Virginis candidâ specierum Panis nube tectus, publicâ supplicatione circũfertur; ecce insperatò detrahi sibi noxiam, quæ oculos offuscauerat nubem, & ad desuetæ lucis munera palpitantes palpebras exporrigi sentit: statimq; & gradu concito, & voce sublatus, Beneficium quod hauserat, publicâ prædicatione in laudem Virginis refudit; & frequentem popu-

Integro triennio cæcus, visum recipit in Peruigilio Assumptionis.

lum

lum gratissimo tantæ Gratiæ spectaculo, gratulatione, lætitiâ impleuit.

10. Anno 1617. Matthias Villicus de Villâ Iankowice, graui morbo implicitus, oculos eiusdem morbi vi corruptos perdidit; & per trieniū nullo mali remedio, offusâ pupillæ caliginē, menti angorem, tolerauit. Fortè ad ostium domus titubante euolutus gressu, audit strepitum comeantium curruum, & quadrigarum; insolitâq; eo loci prætereuntium tactus frequētiâ, subeunte curiositate percontatur, quasnam ad nundinas tam populosus confluxus properaret? & mox ediscit, omnes illos nobiliori sese addixisse Foro; & ad Imaginem Deiparæ, quæ in Ecclesiâ Zdźiechouiensi circa oppidum Borek, pretiosissimas Gratiæ suæ gratis exposuit merces, nullo nisi precum pretio emendas, festino gradu pergere. Corripit statim hominem tam felicis mercimonij desiderium, quo ipse inter inanes medicorum sumptus, ac proprios exhaustus dolores, maximè egebat. Nec morâ, celebre illud Emporium, adscito viæ moderatore adit, solâ sed perpetuâ gratitudine, optatæ lucis munera licitaturus. Ad Ecclesiam Zdźiechouiensem delatus, primùm labes animæ pœnitentiâ emundat, vt oculorum quoque maculæ fatiscerent; & coram R. P. Felice, noxas omnes lacrymosâ sui ipsius accusatione deterit.

Alter tribus itidem ānis oculis captus

Post peractam Confessionem ad lumen redit.

Res mira! acsi eodem Sacramento Animum visumque eluisset, statim à Confessione, depositâ ante pedes Sacerdotis internâ externâque fuligine, in videndi felicitatem erigitur; & puerum ad solita ducendi officia accedentem, obortis lacrymis abigit, professus humano se Ducatu amplius non egere, qui Deiparâ præduce in Diuinum incidisset.

11. Anno 1619. Catharinam Alberti de Błocißewo Directoris Scholæ filiam, grauis qui toto corpore errabat humor, cùm per varios dolores diutius exercuisset, tandem oculis insinuatus videndi dono priuauit; adeòque crassam oculis nubem offudit, vt præ spissi humoris densitate, velut concretæ palpebræ nullatenus diduci possent. Inierant Parentes puellæ, pietate exciti, votiuam ad Templum Zdźießouiense peregrinationem; & dum illîc deuotioni operantur, Ecclesiasten Miracula recenter ibidem patrata percensentem audiuerant. Æstuat his auditis velut flabello accensa Parentum pietas, & in similis gratiæ experimentum occulto desiderio ardescit; Deiparæque aduoluta, absentis filiæ cæcitatem querulâ prece repræsentat; atque vt caliginem, quæ oculos miseræ stipauerat, potenti effuget dexterâ, suppliciter orat. Addunt vota deducendæ ad portentosam Imaginem puellæ, &

Puella cui palpebræ concreuerant, procul existens, cùm Parētes pro salute illius ad Imaginē supplicant, curatur.

læ, & perennem tanti beneficij memoriam; atq; manantes inter lacrymas, salutatâ vltimum Deiparæ Icone, domum repetunt. Procul adhuc à penatibus aberant, cùm Filia cæcitate & eius origine iam abactâ, hilaris in occursum progreditur; videreque & videri gestiens, vtrosque Parentes nouitate miraculi attonat: ac mox gratitudine Parentum ad omnes moras impatiente, in Ecclesiam Zdźießouiensem, agnitura Benefactricem, Vulgatura Beneficium, deducitur.

12. Anno 1621. Adami Opilionis de Villâ Skrzebowo Filia, quindecim annorum tenebras pertulerat; nec vllâ Æsculapij arte, vt Parentem Apollinem nosse delibareque liceret, iuuari poterat. Subit importunâ medicaminum vanitate lassatos Parentes altior stimulus, vt curas suas ad Beatissimam Virginem diuerterent, & negati Solis vsum Filiæ ab illa, quæ Æterni Solis Deferens esset, postularent. Aggerant preces & lacrymas, Filiamque Imagini Zdźießouiensi sistendam, se in peculiarem deinceps Virginis Mancipatum transscribendos fideli voto adigunt: & mox dilabi ab oculis Filiæ, quod tribus lustris inualuerat, malum; ac eosdem in videndi copiam attolli vident, mirantur, & voto suo Donoque Parthenio vrgente, ad Ecclesiam Zdźießouiensem sine morâ delati, clementiam MARIÆ deprædicant.

Altera Puella quindecim annis cæcitatem passa, facto à Parentibus ad Imaginem voto, tam diuturnas tenebras excutit.

 Eodem

Eodem Anno. Petrus Sikorá de Villa Kosczewice, Quadriēnio, & Eua Maliszewa de Zdany triennio toto, oculis capti, paris in Virginem fiduciæ, parem Gratiam retulêre; vtrisque desuetæ lucis vsum feliciter resumentibus, & quod suo Illuminatrix MARIA consonaret Nomini gratâ experientiâ probantibus.

13. Anno 1622. Generosi Domini Andreæ Zbiewski Filiola nondum trimula, circa focum infantili temeritate oberrans, ahenum feruentis aquæ inopinatò euertit; quâ totum perfusa corpusculum. cutem simul ardenti vapore corruptā & speciem amisit. Sed maxima calidæ vis faciei incurrerat, ac præter depastum genarum florem, teneras oculorum membranas, nimio æstu exederat; vsque adeò, vt pupilla & vterq; luminum orbis, velut vredine ambustus, instar florum pruinâ afflatorum albesceret; nullo deinceps tunicarum, colorum, aut humoris Crystallini indicio. Ipsa statim Puellæ species spem omnem humani remedij damnabat: quocirca quæruntur altiora, & ad Imaginem Zdźiesiouiensem, nuncupato voto, Medica Deiparæ manus in subsidium aduocatur. Nulla vel tenuis Puellæ adhibebatur cura, seu desperatione in neglectum omniū tendente, seu Fiduciâ affuturæ cœlitus opis, naturæ media dedignante: cùm præter opinionem

Triennis Puella, amissis per casualem feruentis aquæ effusionem oculis, sine vllis remedijs, solà Deiparæ ope, exesas pupillas recuperat.

Puella velociùs vim mali discutere, & succrescente, quam ignis absumpserat, per totum corpus cuticulâ, roseo colore suffundi; quodque maximè rapiebat omnes in stuporem, puellares oculi, pulsâ quæ in eis post tantos æstus candicabat favillâ, in faustos luminum ignes accendi; integrâq; oculorum structurâ, & nullo tanti mali manente vestigio, ad videndi munia valescere. Itaque à gratis Parentibus ad Imaginem Zdźieszouiensem deducta, & Parentum præconio, suoque spectaculo Gratiam Virginis professa, Materies mirandi, Deiparamque laudandi, pluribus fuit.

14. Anno 1624. Dorothea Bartholomæi Fartuła de Borzećice Coniunx, cùm triennio tenebris mersa, dies suos (dicam verius noctes, & quidem miseras) produxisset, spem tandem concepit, per *Portam lucis fulgidam* sese in lucis solatia traducendam. Ergo ad Ecclesiam Zdźieszouiensem delata, anhelo suspirio vestigat, si qua gratiæ MARIANÆ pateat via, quâ in videndi copiam insinuari queat. Subit repente rudi Fœminæ nouum restaurandi visus antidotum, vt affrictum ad Imaginem linteolum læsis oculis applicaret, detersura eodem luem, quæ pupillis insederat. Adit mox R. P. Felicem, humillimâque prece obsecrat, strophium per Ima-

Triennio cæca dum affrictum ad Imaginem linteum viua fide palpebris admouet, eodem cæcitatē depellit.

ginis faciem duci, & ductum magno cum fidei ardore oculis admouet. Nec errauit ingeniosè simplex Pietas, nam feliciùs strophium illud vim mali ab oculis depulit, quam olim detractum è capite Alexandri Diadema, sanguinē Lysimachi vulnerum stitit. Dixisses Deiparam ipsis qui sese exprimebant coloribus eam vim indidisse, vt in notitiam omnium colorum lumina expandere valerent; ita mox cadentibus tenebris, ad omnia perspicax, omnium capax, é strophio videndi fortunam attraxit.

15. Anno 1625. Thomas Christophori de Lodźia Filius, cùm grauissimis morbis luctatus, ad decimum tertium ætatis annum vitam penè sine sensu vitæ trahebat; membris omnibus emortuus, & vocis, progressionis, visus impotens. Vsit afflictos Parentes fatum pueri, non tam corpus, quam sepulchrum suum circumferentis, & in pœnam aut ludibrium, non nisi per aliena ministeria viuentis: sed omnis eorum cura infra magnitudinem mali stetit, nec obstructis spirituum meatibus torpens corpus, ad sensum sui varietate remediorum reuocari potuit. Allabitur interim aures, vulgatâ multorum relatione, Imaginis Zdźieszouiensis fama, altioreque statim ictu audientes figit: & quis, inquiunt, vetet, in illud MARIANÆ gratiæ mare, tam multis feliciter nauigatum,

Cæcus, mutus, & Paralysi tactus puer, oblatus ad Imaginem, vocem, visum, gressus, mirabiliter recuperat.

tum, nos etiam plenis inuehi velis? Latissimum hoc pelagus est, nullisq; aduersum cymbis, quod promiscuis omniũ sulcatur votis. Iaciunt igitur in has Partheniæ Beneficẽtiæ vndas, firmã spei suæ anchoram; & Filium membris omnibus captum, certiùs Virgineis intingunt aquis, quàm olim Achillem suum merserat Thetys, omniq; deinceps atrocis morbi telo confidunt fore imperuiũ. Nec fefellit confidentia: mox enim vbi ad Imaginem concepta sunt vota, abijt spissus, qui corpus pueri durauerat rigor; flectuntur molles in operandi munia Artus; defluit ex oculis callosus humor, & insuetos luci oculos liquidæ iam rerũ pererrãt species. Ita velut de nouo animatus Puer, in Zdźieß ducitur, adoraturus Matrem misericordiæ, quæ vitia à Parentibus hausta, tam facilè correxisset.

16. *Ludit in humanis Diuina potentia rebus*, ait Poëta: Liceat mihi addere, *Ludit & MARIANA gratia*, quæ Anno 1632. in ipso Veris exordio, ad naturæ tunc sese per varia florum lenocinia explicantis Lusus, suos multò gratiore spectaculo addidit: nam veluti ex ipso temporis spiramento, Beneficij opportunitatem captaret, tunc cùm emortuæ brumali rigore arbores in flores erumpunt, & gemmantes pampinorum oculos extrudunt; placuit Virgini inuersam arborem (ita à Philosophis vocatur Homo) melioribus dignari

Sex annis cæca, cui totaliter arefactæ fuerunt pupillæ, & caui tantum oculorum orbes extabant, postVotum ad Imaginem cõceptum, visu donatur.

gnari oculis; & Sophiam Koźiczyna de Pámiatkowo toto sexennio luminibus captam ad videndi delicias prouehere. Emarcuerat illi diuturni morbi vredine afflatus vtriusque pupillæ flos, nec ratio supererat, quæ oculorum orbes, rediuiuâ visûs felicitate animaret: Postquam tamen deuotâ fide ac fideli deuotione, afflicta Mulier ad Imaginem Deiparæ respectare cœpit, mox spectandi vim ac vigorem mirâ eiusdem benignitate recepit; quæ consono ad exorti Veris temperiem beneficio, arefactos cæcæ oculos vitali tepore resoluit, & opportuno deuehendis speciebus limpido impleuit. Id beneficium ipsamet festo SS. Philippi & Iacobi ad Ecclesiam Zdźießouiensem delata, in præsentia R. P. Felicis, & R. Stanislai Vicarij palam coram populo deprædicauit.

17. Sicut casus ita & felicitas, quem sæpe transit, aliquando tandem inuenit. Experta id bono suo Catharina de Białęcino Sutoris cuiusdam coniunx, sedecim annorum tenebris pressa; quæ Solis videndi desiderio, dum vario calentes Sole adit terras, & loca miraculorum luce coruscãtia, Lucis indiga simul & auida pererrat; tandem post tot frustraneos celeberrimarum Basilicarum aditus, negatum sibi sentiens visus resumendi aditum, forte propitiâ incidit in Zdźießouiensis Iconis mentionem fortuitò sibi oblatam; & illo admo-

admonente intus, qui per submissos Gloriæ MARIANÆ præcones, modum fugandæ cæcitatis porrigebat foris, statuit tam Nobili Imagine salutatâ, salutis compendia quærere. Anno igitur 1635. viæ accingitur, & alienæ manus fulta ministerio, longumque iter emensa, Ecclesiam Zdźiebouiensem occultâ spe, ac cupidine videndi tacta ingreditur. Agebantur primæ solennitatis illius Vesperæ, quam lapsus in linguis igneis Spiritus Sanctus, superno splendore illustrauit; quod in partem boni ominis trahens cæca, & toto corpore ante Imaginem Virginis strata, dum precibus, suspirijs, gemitu, Deiparæ fatigat Misericordiam; ecce tibi sub ipsum MARIANI Cantici melos, rumpi clausas sinistri oculi membranas, & malum, quod easdem tristi caligine atrauerat, sagittæ instar magno cum dolore, in occiput retroferri sentit; statimque videndi officia retentans, incipit pasci redditæ sibi lucis voluptate, à quâ tot annis desueuerat. Restabat dexter oculus, in profundam adhuc noctem, contumacis morbi violentiâ mersus; de cuius restitutione adhuc solicita, sed iam ex præcerptâ Gratiâ fiduciæ manifestior, summo mane diei Pentecostes, iterùm Imagini Deiparæ supplex aduoluitur; & mox pari ratione ac pridie contigerat, fugato in occiput malo, geminum iam oculorum lumen

Sexdecim annis visu destituta, pridie Festi Pentecostes dum canitur Magnificat, vnius oculi lumen; postridie vero ipso Festo altero oculo sanato, plenam videndi facultatem adipiscitur.

lumen *Auctrici luminis* læta infigit; Miraculíque totius ſeriem noua ſpectatrix, ſimul & ſpectaculum, palam omnibus euulgat.

Mulier totos 20. annos cæca, & præ doloris magnitudine ad inſaniā redacta, cùm ante Aram Beatiſſimæ Virginis proſtrata orat, detrahi ſibi velamen quoddam ex oculis ſentit, videreque incipit.

18. Anna Drozdálina ex Regio Oppido Srzoda nuncupato, oculis acrimoniâ maligni humoris corruptis, continuos viginti annos, ſub vnâ cæcitatis nocte tranſegerat; adeò omni videndi priuata ſolatio, vt nulli rei perſonæque dignoſcendæ, læſa pupillæ acies ſufficeret. Acceſsit tam longæ noctis horrori, totius corporis dolor; qui internam etiam mentis aciem, pathematum violentiâ ſenſim obtudit, & mulierem rationis penitus impotem fecit. Reddita tandem ſibi, & remittente morbi tyrannide, ad ſaniorem mentem aliquatenus reuocata, cœpit tangi tam redituri in viſcera mali formidine, quàm incubantis vtrique luminum caliginis tædio, & ſimul remedia circumſpicere. Nullum potiùs viſum, quàm communem *Malorum omnium Depultricem* adire: vnde pio commeantium ad Eccleſiam Zdźieſzouienſem Peregrinorum aggregata cætui, poſtridie Aſcenſionis Dominicæ Anno 1637. Eccleſiam ſubijt. Ibi primùm de mundando corde ſolicita, Sacerdotis genibus adrepit, & ſincerâ confeſſione expiatis anteactæ vitæ noxis, viam ſibi ad fugandas oculorum noxas planat: Inde ad Imaginem Virginis titubante greſſu deducta, totum corpus

corpus humi adfligit; & in preces, quas lacrymæ ex cauis orbibus vbertim labentes interstinguebant, supplex effunditur. Persistebat ita importunâ pietate Virgineam fatigare Misericordiã; cùm repentè sentit detrahi sibi crassum quiddam ex oculis, instar oppansi velaminis; & patente iam vtriusque oculi ad hauriendas rerum species meatu, sublato à terrâ (cui prona hæserat) capite, primam videt sui visus originem, in Miraculosâ effigie fulgentem; verùm nonnihil à suetâ Imaginis formâ aberrantem, & roseo colore copiosius suffusam; veluti puderet *Misericordiæ Matrem*, tam diu miseræ vota, & auxilia distulisse. Hoc prodigium statim ad notitiam omnium deduxit, & per Notarium publicum R. Adamum Srzemensem ad perpetuam memoriam in Actis consignari voluit.

19. Martini Iędrzyczek Ciuis Częstochouiensis coniunx, amisso visu, biennium integrum exegit in horrido cæcitatis nubilo; ac licet in procinctu haberet expertissimam Morborum omniũ medicinam, nimirùm *Claromontanam Deiparæ Iconem*, prodigijs & signis per vniuersum Christianum Orbem illustrem; ex arcanâ tamen Diuini dispensatione consilij, non licuit illi vllo Beneficentiæ fructu potiri; siue vt receptæ sanitatis pretium ex tarditate recipiendi augesceret, siue vt

alibi præter ſpem obuius MARIANÆ Gratiæ ſplendor, per ipſas curandi moras, maiori poſtea ſpectaculo Homines attineret. Paſſa igitur toties in Claro Monte precum ac votorum repulſam, & domeſtici effectu fruſtrata medicaminis, peregrinas inſtituit tentare Locorum Deo, ac Deiparæ ſacratorum vires: Vnde marito comite, religioſo dans ſeſe itineri, celebriores gratiarum famâ Eccleſias adijt, nuſpiam tamen facilem Gratiæ aditum patere ſibi ſenſit. Contigit, vt Oppidum Grabouecium præteruehenti, fortuitus in diuerſorio ſermo incideret, de ſignis, quibus Imago Zdźieſʒouienſis clareſcebat; atque is ſtatim penitùs animo Cæcæ hæſit, ipsâ vtique Deiparâ apprehenſionem excitante intus, quæ foris hactenus refugam Miſericordiam quærenti miſeræ ſubduxerat. Voto igitur nuncupato duci ſe ad Eccleſiam Zdźieſʒouienſem imperat; cùmque non adeò multùm proceſsiſſet, miras veluti renaſcentis vnius oculi cæpit ſentire conuerſiones, qui dolore obſtetricante paulatim in videndi munus erupit. Læta noui luminis partu mulier, tantò fidentiùs inſiſtit itineri, quantò ſecurior de vlteriori Virginis Beneficio, ex præhabiti vadimonio fuit. Nec ſpe ſuâ excidit, nam ante Imaginem eiuſdem ſupplicanti, alter oculus diſpunctâ caligine eandem viſûs fortunam prehendit; vt poſt tam

Biennio cæca inſtitutâ ad Imaginem peregrinatione, in primis vnum oculum in itinere, deinde alterum in Eccleſia Zdźieſzouiênſi recuperat.

tâ irritas peregrinationes disceret Mulier, quòd etiam in supernorum munerum parturitione, *Non omnis fert omnia tellus*.

20. Iacobus de Villâ Słupie Mendicus, insperatâ percussus cæcitate, tunc demùm sibi extremam visus est incurrisse egestatem, cùm cæpit lucis egere; quâ pauperie nimiùm quantùm anxius, sæpiùs votiuas peregrinationes ad Imaginē Zdźiebouiensem instituit; si fortè hæc, quam *Sole amictam* vidit Ioannes, Mendicum caligantem aliquâ lucis dignaretur eleemosynâ. Verum Deipara, quamuis alias *præoccupet eos qui se concupiscunt*; tunc tamen integro duarum Olympiadum decursu, stitit Gratiæ suæ fluenta, nec suspirijs ac votis cæci Benigna occurrit. Non deseruit tamen hominem sueta Mendicis importunitas; qui creberrimè rediens ad Imaginem Virginis, tot Afflictorum millibus propitiæ, & ad suas vnius duntaxat preces obliquæ, piâ violentiâ extorquere nitebatur, quod ipsa Virgo idcircò differebat vt extorqueretur. Nouissimè Anno 1641. eiusdem animi, ac spei retinens, suetum iter in Zdźieb aggreditur; dandum sibi vnâ horâ confidens, quod octo denegauêre anni. Vix baculo prætentare viam è casâ suâ erepens cæperat; cùm ecce lucis expetitæ splendor, oculis eius illapsus, tam diu denegatam diem aperuit; & fu-

Sapient: 6.

Mendicus octo annis cæcitatem passus cum sæpiùs ad Imaginem e-mendicâ li visus gratiâ peregrinatus fuisset, ac nouissimè viam ad eandē instituisset, in ipso pro cinctu itineris visu donatur.

& fugatis tenebris deuoto Peregrino, hactenus Sol peregrinus illuxit. Quare cum maiori alacritate viam carpēs, & aspicere Benefactricis vultus, à quâ tam Misericordi respectus est oculo, gestiens; vbi primùm in Ecclesiâ Zdźieſsouiensi comparuit, persolutis ad Aram Virginis gratijs, magnâ voce, Maiorem eiusdem gratiam euulgauit.

21. Sub id tempus, quo efferata rebellium Cosacorum colluuies auxiliaribus Scytharum succincta turmis extremam Poloniæ minabatur perniciem; cùm vniuersa Nobilitas imminentis periculi formidine excita, ad arma concurreret, & Generalis expeditio bellica Regni Ordinibus indicta esset; Generosus D. Andreas Miſsczewski, communem sequutus Martem, seu Castrensium laborum fractus incommodis, seu aquarum consulto ab Hoste corruptarum intoxicatus vsu, tantùm visus incurrit hebetudinem; vt non modò seruare in Castris Ordines, sed etiam videre eosdem nequiret, immistus agminibus, inutile agminis pondus. Audierat aliquando, vulgante Famâ, Prodigia Deiparæ, quibus Imagini suæ Zdźieſsouiensi Maiestatem conciliat: eorum tunc subeunte memoriâ, subit simul hominem desideriū, in similis experimenta gratiæ, de Benignitate Virgineâ assurgendi. Voto ergò visitandæ Imaginis nun-

nis nuncupato, potentiorem fabulosâ Hecate viæ ducem postulat, in tantâ subitæ cæcitatis nocte; & non multò post confecto bello, cum totâ cui auctoratus erat Cohorte, supplex locum Imaginemque adit; votum implens, & impleri simul, quod tam anxiè vouebat fauore Deiparæ gestiens. Illîc dum in deuotas effusus preces diutius Pietati operatur, & internâ delictorum tactus pœnitudine, etiam in lacrymas penitùs liquitur; admoto oculis sudario, quo tepidum contriti cordis rorem exciperet, sensit negatum hactenus lumen pupillas inuadere; dumque profluũ ex oculis cruorem, mixti cum lacrymis cadentem abstergit, diuturnam pariter cæcitatem, recepto integro visu, eodem strophio abstersit; & Gratiam hanc sibi præstitam, in Actis per Notarium publicum connotari curauit.

Miles, cui castrensia incõmoda oculos corruperant, cùm ante Imaginem lacrymosas preces fundit, & strophio rorantes oculos abstergit, subitò claritatem visûs recipit.

Claudat agmen hoc prodigioso illuminatorum à Matre *Lucis veræ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Authentica Recognitio Adm̃ R ñdi P. Balthasaris Reich è Societate IEsv, ad Archiuum Ecclesiæ Zdźießouień data; & manu illius propriâ totaliter scripta, ac Sigillo consueto totius Societatis videlicet IEsv Nomine munita: Cuius tenor est talis. Ioannis 1.

22. Ego infra scriptus Societatis IEsv Sacerdos, fide religiosâ testor me à B. Virgine Borkouiensi

uiensi singulare beneficium accepisse, modo qui sequitur. Circa annum Christi 1647mum, ætatis septimum, vel 8uum, tanto oculorum dolore, & caligine 7. hebdomadarum spatio afflictus fui, vt nec solarem lucem absque dolore intueri, nec aliud quidquam cernere, aut ordinarias functiones obire potuerim. Huic malo auertendo, cùm nihil proficerent adhibita remedia naturalia, quin imò ex ijs dolores incrementum sumerent; Parentes ad cœlestia, Diuæq; Virginis patrocinium conuersi, primùm quidem oculos aquâ de fonte Borkouiano haustâ abluerũt, tum votum quoque ediderunt geminæ peregrinationis pedestris Borkouiam instituenda. Primam ex voto persoluit Pater; è quà cùm rediret immixtus populis Schwentzikouiẽsi, Mater me visu destitutum supplicantibus obuiam eduxit: qui cùm propiùs aduentarent, repentè visum recepi, primamq; Virginis Beatissimæ Iconem in vexillo candido, quod præferebatur supplicantibus, conspexi; & exclamaui Matrem compellans, me virginem eleganti formâ (qualis videlicet erat Imago Sanctissimæ DEI genitricis in labaro candenti depicta) conspicere. Ab eo tempore in dies magis emendari cæpit visus, donec tandem, non ita multò post, integra oculorum sanitas consecuta est. In huius rei contestationem, & perpetuam tanti bene-

ti bene-

ti beneficij memoriam præſens chirographum confeci, & Borkouiæ reliqui. Anno 1679. Die 24 Iunij. Locus ✠ Sigilli.

Balthaſar Reich è Societate IESV infimum Dominæ & Illuminatricis meæ mancipium mpp.

Eiuſdem Diuæ Patrocinio adſcribit Soror mea Vrſula, nunc Diui Benedicti in celeberrimo Monaſterio S. Materni, Leoualli in Sileſia Sanctimonialis, quòd oblato exiguo munuſculo, à tuberibus collo inhærentibus, & magnos ſubinde dolores creantibus, circa Annum Domini 1655. ætatis ſuæ circiter 14tum liberata fuerit: quod ipsũ, ex literis illius, ad me datis mihi cognitum, in memoriam beneficij à Thaumaturgâ accepti placuit conſignare, & teſtatum relinquere Borkouiæ. Anno & die vt ſupra.

Idem qui ſupra mpp.

Atque hæc ſunt Prodigia MARIÆ, in Cæcorum ſtupenda curatione patrata, quibus illa velut interpretem agens Nominis ſui, Etymon eiuſdem pleniſsimè impleuit; & Potentiam Illuminandi, quam præfert in ſignificatione, expleuit in opere. Proinde Caput hoc concludés, Symbolicum illi appendo Anathema, quòd aliâ licet ex causâ, doctiſsimus Regnandi Magiſter Didacus Saauedra in ſuis vſurpauit Politicis. Pinxit il- Saauedra Symbol: 49.

Symbolum Deiparæ cæcos illuminãtis, Sol opposita sydera, per reuerberationem & incidẽtiam radiorum illuminans, eisque lucem tribuens.

xit ille cœlum, digestis per sua signa stellarum variegatum Ordinibus, quæ tamen nullo adhuc lucis comptæ decore, cum natiuâ opacitate luctabantur. Surgebat ex aduerso Fons Lucis Sol; qui postquam vibratos per omnes syderum vultus dispersit radios, mox tota cœli facies, cum suis Astris, nouo splendore pulchrescẽs, lætis ignibus incanduit; addidit Epigraphen, quæ indicaret, cui splendor ille deberetur, Adscribens *Lumine Solis*. O quot humanorum oculorum sydera, horrida cæcitas opacauerat, vt in æternam viderentur damnata noctem! Verùm vbi ad Imaginem Zdźiesouiensem stitêre, è Diametro illius, quæ est, Spiritu sancto testante, *Electa vt Sol*; ad vnicum Partheniorum radiorum cõtactum discussis tenebris, fortunatam Lucis possessionem adiêre. Meritò igitur in festiuos soluti plausus, vsuram lucis quâ potiuntur, ad *Matrem Increatæ Lucis* transferant; grato & gratante animo professi, visoria pupillarum suarum Astra, non alio splendescere, nisi Mystici *Lumine Solis*.

Cant; 6.

C A-

CAPVT VI.

Exempla eorũ qui amiſſo pedum vſu, vel membris luxatis, Paralyſi item tacti, voto ad Imaginem Zdźieſzouienſem facto, ſanitatem recuperauerunt.

HÆsêre olim attonitæ nouitate Prodigij Solymæ, dum claudus ex vtero Matris, cui nouerca Natura detortis in prauum pedibus illuſerat, ad imperioſam Diui Petri vocem, nunquam antea tentatos greſſus, facili & obſecundo veſtigio figere cæpit. Verùm tunc quoque felici miſeri præſagio, affulſit prodigiosè curationi Deipara, tametſi è Myſticâ figurarum nube, propitios radios vibrans: nam dextro omine *Portabatur quotidie ad Portam Templi, quæ dicitur Speciosa.* Et quænam obſecro ſpecioſior Porta Sacratiſsimæ Virginis Angelicâ puritate? cuius *Speciem Rex æternus concupiuit?* per quam ad homines, intactis Virginei Pudoris cardinibus, venit? Huius Portæ liminibus quoniam peruigil quotidie accubabat claudus, tandem à Myſtica

S. Petrus claudum ex vtero matris, curat ad Portam Specioſam Templi Salomonis

Act. 3.

Pſalo. 44.

Porta hæc ſpecioſa figura fuit Deiparæ.

stícâ Deiparæ vmbrâ, vim ac impetum anbulandi hausit; & præeunte in typo MARIA, subleuante Petri dexterâ, gressus quos natura negauerat, momento edidicit. Meritò ad fortunatos Portæ huius postes conuocat Lyranus, omnes ab vtero Matris Euæ in vtramque partem claudicantes, & semitas Dei firmo vestigio calcare inualidos, cùm ait: *Porta Speciosa* est MARIA, *per hanc Filius Dei venit ad nos redimendos, & per eam deducit nos ad glorificandum: si quis autem claudus est, ambulare non potens in viâ morum, ponatur per deuotionem ad ipsam, erigetur Diuinitus, & fortificabitur ad feliciter gradiendum.* Nec verò his Solis per hanc Portam accessus patet ad Gratiã & sanitatẽ, quos interna deprauatæ naturæ in viâ virtutum tardat infectio; etiam corporeis profuit pedibus, ad Virgineos pedes supplices accidisse. En paucos è multis, quibus piè inuocata Deipara, non modò interdicta pedum officia, sed amissa etiam, vel vitiata mẽbra, prodigioso medendi genere restituit.

3. Reg. 18.

Lyranus.

Ad hanc confugientes, & Moralem, & Physicam abigunt claudicationem.

1. Anno 1611. Dorotheam Textoris de Oppido Iaročin Coniugem atrox corripuit morbus; qui toto sparsus ac pererrans corpore, vitalem adeò corrupit facultatem, vt fluentibus marcido languore artubus, motuque manuum ac pedum penitùs ablato, non tam corpus circumferre vide-

Mulier omniũ membrorũ vsu ac motu penitùs destituta, post emissum visitandæ Imaginis votũ cõualescit plenè, & votiuũ iter peragit.

deretur quàm bustum. Vnde si quando migrandi de loco in locum ingrueret necessitas, domesticorum famulante ministerio, sindone inuoluta, adhibitis baiulis portari debuit. Vsurpabantur frustra remedia, fugando malo minimè suffectura, & præmortuis ante mortem membris, neutiquam vim salutiferam aspirantia: donec officiosa affinium Pietas, cernens omnes Æsculapij artes, imò spem ipsam atrocitati Mali succũbere, reperit sub vmbra MARIÆ, sed non vmbratile propulsandæ ægritudini antidotum: facto namque ad Imaginem Zdźießouiensem pio recursu, & votis nuncupatis, repentè languido corpori viuax sese calor infudit; & arentia membra irriguus subitò humor ad pristinos vsus resoluit; cœperuntque venæ, quas diuturnitas morbi contraxerat, desuetos excursus agnoscere, & lætis subsultibus sanguis easdem pertentare. Ita resumptâ integrè, quam sine sensu vitæ traxerat vitâ, Dispensatricem vitæ, nullo iam sustentante, adijt Feriâ secundâ Pentecostes; Beneficiumque à Beatissimâ Virgine acceptum, coram Notario publico & Testibus recognouit.

2. Anno 1612. Sophia Orzechowna de Villâ Kossowo, Annorum circiter quindecim Puella, cùm aliquamdiu acutos dolores pertulisset, tandem illapsâ pedibus tabe, vsu illorum penitus ex-

Altera sexennio vsu pedũ priuata, dum in Ecclesia Zdźieszouiensi, ad quam alienis delata fuit manibus, confessionem absoluit, receptâ ambulandi potentiâ, proprijs pedibus ex illa recedit.

exciderat; atque integrum sexennium, ambulandi impotens, lecto affixa transegerat. Placuit nouissimè ægram ac elumbem ad Ecclesiã Zdźieszouiensem vehi; vbi alienarum subsidiò illata manuum, vix dum piacula animi confessione eluit, & ecce noxium simul peccantis humoris defluuium, quod neruos vitiauerat, euanuit. Statim enim à peractâ exomologesi surgenti, laxarunt sese in obsequium gressuum arentes hactenus artus; ita vt nullius iam sustentaculi indiga, læto vestigio ad Imaginem Deiparæ processerit: ac persolutis Auctrici sanitatis gratijs, integra, & valens domum redierit, quâ iumentis baiulis exiuerat.

Puella, cui carpenti die festo nuces manus in pœnam exaruerat, recurrens ad B. V. vsum illius impetrat.

3. Anno 1615. Adamus Opilio de Villa Wieszczyćino, spretâ Diei Dominicæ reuerentiâ, dum in templo Missarum peraguntur solemnia, ipse in vicinum nemus comite Sophiâ filiâ excurrit; decerpendis auellanis vacaturus, cum Deo vacare, Pietatique operari debuisset. Adfuit mox læsæ Religionis vindex Numen; vix enim Filiola ad primam nucem vellendam manum protendit, subitò arefactis neruis & tendinibus, diriguisse eam sensit; & quam malè alieno tempore arbori admouerat, in modum arboris duratam retrahere non potuit. Elicuit repentina pœna, vtrique pœnitentiam; eodem enim in loco fusi

humi,

humi, & lacrymis madentes, damnant temeritatem ſuam, viliſsimi queſtus causâ ad Feſti violationem progreſſam: vtq; faciliùs vltorem Deum propitient, Matrem Dei in Patronam & Aduocatam facto ad Imaginem Zdźieſsouienſem voto, adſciſcunt. Aduertit benignos oculos precibus ſupplicantium Deipara; recurrit enim ſtatim in emortuam manum vitalis tepor, ac veluti emollito per lacrymas rigore, qui iuncturas ſtipauerat, liberos flexus rediuiua dextera recepit.

4. Eodem Anno. Agnetem de Rayskowo Coloni Záiąc dicti Filiam apprehendit ægritudo, quæ illam vſu pedum mulctauit. Vi enim doloris elapſæ vertebris ſuis coxæ, emotique ſitu naturali articuli, ac nerui conuulſi & ſtupeſcentes, ſuſtinendo corpori ſufficere non poterant. Damnatam itaque ſeſe ad perpetuos ingrati lecti ſqualores ſentiens, ſupplex implorat opem Deiparæ; & ab illâ manu erigi poſtulat, quæ labentem in præceps mundum erexit, & fulſit: nec irrito euentu; poſt concepta enim adeundæ Imaginis Zdźieſsouienſis vota, breui obtinuit, vt adire poſſet, & vota exoluere.

Puella cui dolor coxas pedum contorſerat, & neruos ſtupefecerat, ope Deiparæ, quam implorauerat, vim ambulandi recepit.

5. Anno 1616. Heduigis de Oppido Dolsko, orto in manu Apoſtemate, cùm malum in dies ſerperet; & confluens ad partem affectam maligni humoris virulentia, in gangrænam degenerare incipe-

Mulier vlcus in manu passa, cùm inuadente sacro igne sectione manus curari deberet, ad Imaginem B. V. excurrit, & ibidem prostrata, sine iacturâ manus medelam inuenit.

ciperet, ad eas deuenit angustias, vt Medici desperatis mitioribus remedijs, tactæ sideratione manui, sectione subueniendum decreuerint. Detestata mulier immanitatem curationis, cuius auxilia supplicia sunt, & sanitatem ferunt morbo ipso grauiorem; ad illam recurrit Virginem, quæ sicut nullo Integritatis suæ dispendio vitam mundo enixa est, ita illæsâ membrorum integritate deficienti vitæ mederi solet. Apparabat iam Chirurgus truci remedio ferrum; cùm ipsa meliore vsa consilio, ad Imaginem Zdźießouiensem properat, & ante eam supplex prouoluitur: dumque tumentem igneo vapore dexteram, prensando Virginis gratiam, deuotè protendit; mox abolito penitùs carcinomate, ac extinctis gangrænæ ignibus, saluam & incolumem, cum stupore adstantium gratabunda recepit.

6. Anno 1617. Honesta Anna de Łußczánow, dum colo nendæ insistit, excussum è manibus fusum amisit; qui acumine sursum obuerso, crassiore sui parte, terræ pertinacius infixus hæsit. Eum deinde incautè vestigans, per alias rerum abrepta imagines mulier, casu fortuito in subtile ipsius è terrâ prominentis acumen, nudo pede impegit; tam valido impetu, vt terebratâ plantâ, ad superficiem vsque pedis stylus fusi penetrauerit, ibidemque fractus remanserit. Laboratum

boratum est à domesticis pariter ac extraneis, vt quâcunque arte, crassum fusi fragmen, carni impactum extrahi posset, verùm inanes conantium artes, infra atrocitatem mali fuêre. Actumque erat de pede miseræ, quandoquidem sacer ignis in lethale erupturus incendium timebatur; ni fomes tantæ flammæ lignum in pede latens tempestiuè extraheretur. Proinde anxia salutis ac vanitatis medentium pertæsa mulier, ad Beatam Virginem confugit; seque sponsione visitandæ Imaginis Zdżießouiensis illigauit. Secuta promissi fidem velocitas remedij: breui enim post factum votum, medietas illa fusi, quæ sauciam carnem satis grandi segmine exederat, spontè effluxit; atque vt vulnus plenè coalescere posset, planum spatium reliquit.

Altera, cui fusus casu fortuito in pedem illapsus ita inhæserat, vt nullatenus extrahi posset, post votum ad Imaginem nuncupatum, spontè excidēte fuso, desperatā sanitatem adipiscitur.

7. Anno 1618. Generosa Dña Sophia Ossowska, Generosi D. Stanislai de Krzycko Ossowski Coniunx, diuersis conflictata diutiùs symptomatibus, in extremum deniqueac mortali proximū soluta est languorem: nam torpescēte totius corporis vi ac vigore, & manus & pedes debita negabant obsequia; atque ita mortuæ quàm viuæ similior, integrum Annum & medium, nonnisi ad pœnas sese viuere sensit. Incidit huic aliquando Sacræ Zdżießouiensis Imaginis recordatio; cuius veneratione,& simul obtinendæ sanitatis cu-

Nobilis Dña per Annum & dimidium lecto affixa, atq; sensu & motu priuata dum famulūZdżießou: mittit, vt Missæ ātelmaginem pro salute illius celebrarētur, vix digresso famulo, perfectā sanitatē recipit, & lecto surgit.

pidine tacta, expedit sine morâ ad Sacerdotes Ecclesiæ illi adscriptos tabellarium; simulq; largam Eleemosynam inter eos partiendam mittit; additis precibus, vt labenti in præceps valetudini vitæque suæ, ab illâ Virgine medelam suppliciter quærerent; quæ cùm sit *Vapor Virtutis Dei*, valituram contra omnes morbos virtutem haberet. Vix Literarum portitor pedem Domo extulerat; cùm exangue Ægrotæ corpus, vegetiori spiritu imbui, obstipataque ac penè in fatalem defixa rigorem Membra, melioris influxus aspergine irrorari cæpêre. Vnde strato (ne dicam feretro suo) desiliens, procumbit in genua, acceleratæ præter opinionem salutis venerata Largitricem; quam breui post, adornato ad Ecclesiam Zdźiesouiensem itinere, in suâ Icone salutauit; & perpetuam accepti Beneficij memoriam, in Actis Ecclesiæ per Rñdum Felicem Duranium consignari fecit.

Sap: 7.

8. Anno 1622. Admodum Rñdum Matthiam Budźiśewski, Parochum Szymanouiensem corripuit Paralysis, quæ virulento afflatu, ita mox neruos omnes musculosque stipauit, vt obstructis animalium spirituum meatibus, membra omnia exangui torpore conciderent; & motu sensuque prorsus intercepto, nec pedes progressioni, nec manus labori, nec lingua loquelæ subseruiret.

Iacebat

Iacebat afflictus, præter liberum rationis vſum, ac externa lineamenta, nihil de homine præſeferens; iamque ante fata in cadauerosam ſpeciem, fatali metamorphoſi mutatus. Adhibebantur remedia, narcoticam vim membris diffuſam, molli fomentatione diſcuſſura; verùm Æſculapij potentia infra pertinaciam mali fuit; quidquid enim vel Medicus Poſnanienſis, tollendæ ſpiſsi humoris colluuiei, quæ portas vitalium ſpirituum obſtruxerat intra; vel famoſus curationum felicitate Chirurgus Pleſzeuienſis, molliendis ad natiua officia membris, extra vſurpabant; id totum fæx illa craſsi humoris, curam omnem dedignata, contumaciter ſpreuit. Apparet interim ægro in ſomnis vir ignotus, ſed auguſtâ quadam ſpecie verendus, ac vultu habituque ſanctimoniam ſpirans; qui illum monet, vt relictâ non profuturæ medicinæ debilitate, fortiora remedia capeſſat, & ad Beatam Virginem Vniuerſalem Humanæ Curationis Apothecam recurrat. Expergefactus, concipit Viſitandæ Imaginis Zdźieszouieńſis vota, ac ſenſim remittente malo, incipit ſtatim frui reſtituti ſenſus, ac motus libertate; pauloque poſt abactâ totaliter Paralyſi, ad Eccleſiam Zdźieszouienſem pergit, vbi conſcenſo ſuggeſto, ac inſtitutâ de laudibus Beatæ Virginis, ad frequētem populū concione, (*Facundum faciebat Amor*) totius

Sacerdos Paralyticus, amiſſo linguæ, manuum, pedumq; obſequio, monetur in ſōnis, vt valetudinē B.V. deuoueat: quo facto, mox conualeſcit, ac Zdźieſzeuiū delatus, Beneficium ex ambonâ promulgat.

Ouid: in Met.

totius miraculi, Gratiæque MARIANÆ ſibi præſtitæ ſeriem palam promulgauit.

9. Anno 1623. Stanislaus de Bienkowo, inflammationem pedis paſſus, ſeu verius Eriſypelate tactus, nec ſatis genus morbi aduertens, aluit neglectu curationis latentem intus flammam; quæ breui peruagata venas ac medullas, depaſtâ non modò extimâ cute, ſed corpore, ipſa quoq; peredere cœpit oſſa; ita vt per hiantia vulnera, ambuſti paterent tali, & carne defluente, nudæ coſtæ, deformi ſpectaculo prominerent. Conclamatum fuit de pede tam malè affecto; & peritia Medica vires ſuas atrocitati mali ſuccumbere faſſa, impugnare illud non præſumpſit: ſiquidem accerſiti Chirurgi, ſolo viſi carcinomatis horrore territi recedebant, nullo facto artis ſuæ tentamine, fruſtra cum deſperati pedis maligno putore luctaturæ. Permiſſus itaque ſibi & fatis Æger, vltra annum & dimidium, inter vitæ ac mortis confinia, grauiſsimis iactatus doloribus durauit. Nouiſsimè occurrente animo Imaginis Zdzieſzouienſis claritudine, tot Prodigijs celebri, in ſpem affuturi auxilij erectus; promiſſo inſtituendæ illûc peregrinationis ſe ipſum adegit. Adfuit de Benignitate ſuâ præſidenti, Adiutrix in opportunitatibus MARIA; ceſſãte enim remediorum vſu, cæpit ſponte ſuâ ardor putreſcentis pedis remittere

Vir, cui Roſa pedem totaliter corruperat, pluſquam anno & dimidjo ambulandi impotens, oblatꝰ ad Imaginem B. V. ſine vllâ remediorũ applicatione, vt potè deſertus à Chirurgis ſanitatem recuperat.

tere, saniss virulenta abstergi, cutis superextendi, cicatrix coalescere; ac medente inuisibiliter MARIA, nudata nuper ossa, nouâ succrescente carne, veluti renasci, inque ambulandi officium valescere. Gratus itaque Gratiæ MARIANÆ, adhibito viæ & gratitudinis socio, germano Fratre Alberto, Ecclesiam Zdźiesouiensem adijt, & portentosam sui curationem; ad omnium notitiam deduxit.

10. Eodem Anno. Honesta Anna, Stanislai Kucz de Oppido Wolsztyn Inquilini coniunx, continuos quindecim Annos, lecto ægritudinis affixa, toto corpore obtorpuerat, membris omnibus sine sensu rigentibus: accessit ad cumulum miseriæ iactura loquelæ; quæ nouissimè subsecuta est, postquam noxij defluxus contagij faucibus illapsus, linguam etiam in compedes egit; vt næ queri quidem de miseriâ liceret. Verùm non multò post vocem, quàm sæuientis paroxismi malignitas rapuerat, inuocata Mater Misericordiæ restituit. Dum enim opem illius, per suspiria & gemitus, omni voce valētiores inclamat; Mutum illud sed deuotum silentiū, clariùs quàm si loqueretur, in Auribus Deiparæ insonuit; audita que breui & exaudita, catenatam hactenus linguam primùm in verba resoluit; vt à Matre VERBI curata esse sciretur. Restabat corpus longâ

Mulier toto corpore resoluta, ac totos quindecim annos è lecto nō surgens, facto ad Imaginem recursu, primò amissam loquelam, domi. deinde in Ecclesia Zdźieszouiensi perfectā sanitatem obtinet.

 tenu-

tenuatū tabe, ac ſui ipſius impotens, & exſuccū; ſed cùm experimentum vnius Gratiæ, miſtum fiduciâ deſiderium alterius prouocaret, interno agitante non dubiæ ſpei æſtu, ad Eccleſiā Zdżieśouienſem deferri voluit, atque illuc ipſo Sanctiſsimæ Trinitatis feſto peruenit: territa tamen multitudine populi, quæ in tantâ ſolēnitate confluxerat; non auſa progredi in publicum, næ à turbâ comprimeretur, Diem illum in diuerſorio, precibus inſiſtendo, conſumpſit. Poſtridie vbi diluxit, ad Eccleſiam ſuccollantibus baiulis delata, vix terminos Cemeterij, terramque Deiparæ ſacram attigit, vegetior ſtatim fieri cæpit. Vnde paulatim ſurgens, & titubante veſtigio, deſuetos tam diu greſſus moliens, firmari plantarum baſes ſenſit; ac primùm Altare maius, minimè iam ſuccidiuis poplitibus venerabunda circumijt; mox aditâ Imagine Sacratiſsimæ Virginis, cui hoc ipſum debebat quod adiret, integrè ſana, ac nullius iam fulcri egens receſsit. Vt autem ſæpiùs Medicatricis ſuæ aſpectu frueretur, vſque ad feſtum Diuæ Magdalenæ, circa Eccleſiam permanſit; Deum, Deique Parentem laudans, ac ſe ipſam euidens MARIANÆ Potentiæ oſtentū, cunctis exhibens.

Simili propè per Annos ſedecim preſſa ægritudine, Anna Swarzęcka de villa Kopánicá, cùm

votum visitandæ Imaginis emisisset, apud Deiparam euicit, vt restituto pedum vigore, visitare posset; quod & præstitit Anno 1639. Miraculumque in Acta Ecclesiæ retulit.

11. Anno 1624. Martinus Sczepocki Ciuis Gnesnensis Paralysi tactus, Manuum, Pedum, Linguæ vsum amiserat, crasso ac viscido humore neruos, ligamentaque membrorum, næ suis fungi possent officijs, obstruente. Implorata igitur Medicorum ope, cùm operam duntaxat ludere, & afflatum noxio pneumate corpus, nequaquam de ferali rigore remittere videret; ad Beatissimam Virginem confugit, ac conductis tribus Præsbyteris, Hostiam propitiationis in Ecclesia Cathedrali Gnesnensi Deo litari, salutemque suam Patrocinio Deiparæ, in Ecclesiâ Zdźießouiensi Gratijs plenæ deuoueri fecit. Vix dum completis sacrificijs ab aris recesserant Sacerdotes, voto ad Imaginem Zdźießouiensem pro ægro facto; ecce Æger amissos sensus sensim resumere, ac veluti detractis compedibus manu missus, negata diutiùs officia retractare cæpit. Tandem plenam adeptus sanitatem ad Ecclesiam Zdźießouiensem venit, ibique peractis gratijs, votiuum Anathema Imagini appendit, Gratitudinis suæ pignus miraculi perenne Mnemosynon.

Paralyticus, dum Sacerdotes ab illo cōducti Missas celebrant, & vota pro salute eius ad Imaginem nuncupant, miraculosé à morbo liberatur.

12. Sequens Miraculum in præsentia Illustrissimi

ſimi Ioannis Węzyk, tunc Epiſcopi Poſnanienſis factum, eodem quo reperitur in Archiuo Eccleſiæ ſcriptum ſtylo, tranſſumendum de verbo ad verbum cenſui; næ adſcititia eloquẽtiæ venuſtas, dum ſimplicitatẽ Inſtrumẽti publici corrigit, fidẽ miraculi hyperbolicè eleuare videatur; ſic igitur Inſtrumentum: Nobilis Heduigis Siewierska Vidua, Præſentibus R. ñdis Dñis & Patribus, Felice Duranio Plebano Eccleſiæ Parochialis Borcenſis, & Præpoſito Beatiſsimæ MARIÆ in Zdźieß, R. Patre Staniſlao Grodecio, Altariſtâ Literatorũ in Grodźisko, ac R. P. F. Benedicto Borcenſe Ordinis Minorum de Obſeruantiâ, ac Nobili Adamo Kaźimirski, meque aſsiſtente & audiente Notario Publico, Adamo Sreminio Concionatore Eccleſiæ Parochialis Borcenſis, ſub conſcientiâ recognouit; ſe Anno præcedenti, videlicet 1626. pro die ſolenni Pentecoſtes, ægram & greſſu penitùs priuatam, comparuiſſe in Eccleſia Beatiſsimæ Virginis in Borek; ad quam è curru à duobus baiulis cùm fuiſſet delata, ante Imaginem Beatiſsimæ Virginis, diutiuſque oraſſet, poſt meridiem circa horam Veſperarum, vi propriâ è ſellâ ſurrexit; & per Eccleſiam extra fores templi vſque egreſſa, à ſuis famulis meliùs valens eſt reperta; & ab inde meliùs conualeſcens, anno præſenti, viribus integris, Die octauâ Maij ad Eccleſiam Beatæ MA-

Nobilis Fœmina recognoſcit quod illata ad Eccleſ: Zdźieſzouien: cùm progredi nullâtenus poſſet, per ſupplicationes ad B. V. effuſas, vſum pedum recuperaucrit.

tæ MARIÆ Virginis veniens, Beneficium hoc intercesſione illius ſupplex ſe obtinuiſſe proteſtata, duos baculos (fulcra ſubaxillaria alijs dicta) ſine quibus incedere aliàs non poterat, in perennem Beneficij memoriam, parieti Eccleſiæ affixos, perpetuò voluit reſeruari; in libroque Miraculorum præſens Beneficium conſcribi petijt. Præſente Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Dño Ioanne Węzyk, Epiſcopo Poſnanienſi, qui Anno ſecundo poſt ſuſceptum hunc Epiſcopatum Eccleſiam Zdźieƀouienſem Deuotionis cauſâ viſitabat; quo etiam Primatialis, & Metropolitanæ Eccleſiæ Gneſnenſis Archiepiſcopatus culmen aſcendit.

13. Anno 1628. Septennem Puerum Valentini & Reginæ Ciuium Gneſnenſium filium, mirabilis morbus inuaſit; qui facto in pedes impetu, non modò eos velut equuleo, in obliquum diſtorſit, verùm ſtupendâ quadam vredine intus carpente, in tantùm deprauauit, vt eliſis de ſtatione, ſuâ talis, ruptis iuncturis, carne abſumptâ, nudati nerui tanquam funiculorum nodi penderent. Ingerebat ſpectantibus horrorem, ac eliciebat miſerationem, innocentis pueri ſpecies, ſub inuiſibili igne, lentâ tabe diffluentis; cùm Mater quò magis amore impatiens, eo Pietate flagrantior, conceptâ de Benignitate Deiparæ fiduciâ, ſternitur in genua, ærumnaſque miſeri filij, Miſericor-

Puer diſtortos pedes, ac neruos ruptos, & inſtar funiculorum pendētes habens, oblatus à Matre ad Imaginem, conualeſcit, omnibus qui aderant ſenſibiliter cernentibus, quomodò oſſa cum fragore in vnum coirent

diæ Parenti, cum lacrymis repræsentat; votum visitandæ Imaginis Borkouiensis in Zdźieß puro vouendo corde. Nondum vota finierat, & ecce emota sedibus suis ossa, edito instar fractarum nucum fragore pristinas sedes videt repetere, neruorum ligamenta in vnum coire; ignem occulto incendio artus depascentem restingui; ac tandem pulsâ totaliter morbi causâ, sanum, vegetumq; recipit Natum, quem iam per multos dies deplorauerat. Hunc Anno proximè sequenti, comitantibus vicinis, tanti prodigij Testibus, simul & Præconibus, præsentē Beatissimæ Virgini in Ecclesiâ Zdźießouiēsi cum gratiarū actione exhibuit, Miraculū hoc in Actis Ecclesiæ cōnotari petijt.

Alter adolescens pariter distortus, post vota Parentum rectificatis pedibus, ac vsu illorum, gradiendiq; facultate potitur.

14. Anno 1631. Stitêre Parentes, villæ Korytnica Inquilini, ad Aram Deiparæ, Filium septemdecim annorum Iuuenum, voti sui sed magis MARIANÆ Gratiæ debitorem. Huic superueniens Paralysis omnes artus dissoluerat, vt nonsi alieno famulatu viueret, alieno subsidio exangue pondus leuaretur. Augebat grauitatem mali, violentia acris cuiusdam humoris, qui articulos pedum, ac ipsa ossa, nodis tendinibusq; conuulsis, transuersum egerat; ita, vt curuato situ, velut in globum contractus Adolescens, præpostero plantarum spectaculo omnes attonaret. Cesserunt tamen hæc omnia, postquam pijs Parentum

tum supplicationibus excita MARIANA pietas ad ferēdam opem accessit: Oblatus enim ad Imaginem Zdźiebouiensem, absque vllo medicaminum præsidio, meliùs statim valeri cæpit; sensimque vanescente virulenti humoris, qui pedes obliquauerat, tormento, itinere sese ad Imaginem Zdźiebouiensem accinxit; Parentibus dedu-cētibus, ac Deiparæ Gratiam, grato præconio vbique buccinantibus.

15. Anno 1643. Honesta Anna Mlodowitká de Gogolnino, partui vicina, dum ad superiorem Domûs contignationem per scalas enititur, lubrico fallente vestigio, è supremo scalæ gradu lapsa, tanto pondere terræ illisa est, vt statim fractâ manu, totoque corpore concusso, pænè semianimis sublata fuerit. Nemo infelicis casus spectator, vitam fætui hac graui iactatione quassato ominabatur; siquidem vehementia lapsus, membranas ac ligamenta prolem sustinentia conuulsisse, ac exitium illi priusquam exitum maturatura credebatur. Verùm & Matri imminebāt fatalia, quæ tam valido impetu terræ afflicta, acerrimos statim procidentis vteri doloris incurrit; & simul elisæ manus solutâ compage, non vsum tantùm illius, sed etiam spem medelæ amisit. Vnicā solabatur afflictam *Mater Sanctæ Spei*; quæ occurrens animo, nescio quo occulto illicio, euocabat

Mulier prægnans cadit è scalis, & manum frangit.

Ecclesi: 24.

bat in sanitatis fiduciam, de suâ fœtusque sui vitâ trepidam, & geminæ mortis horrore perculsam. Sequitur ergo MARIANÆ Gratiæ oblatum radium, suâ se intus luce signantem, & votiuum ad Imaginem Zdźiesouiensem peregrinationem spondet. Nulla exinde & curationi manus mora, & facilitati Partus remora intercessit: nam & illa leuibus duntaxat medicamentis, herbisque simplicibus breui conualuit, & fœtus innoxio prorsus partu, sine graui molestia in orbem effusus, Matris gaudia cumulauit. Quæ omnia sub conscientia coram Notario Apostolico recognouit.

Sanatur, & fœtum viuũ præter spem emittit.

Habes Amice Lector selectiora exempla eorum, quos sinister casus, vel aduersa valetudo, manuum, pedumuè truncatos obsequio depressit; verum MARIANA Beneficentia, ad pristinum reuocatos statum, prodigiosè erexit. Erigo proinde huic prodigiorum Operatrici perenne Monumentum, illique appendo Symbolum, quo vsus est Theodorus Triuultius Regis Galliæ Curialis. Hic vt se Fataque sua à Regis Gratiâ totaliter pendere profiteretur, pinxit vitem vlmo inixam, & paulatim sursum serpentem; additâ circum Epigraphe, *Me tuis adhærere ramis*: per hæc symbolica inuolucra tacitè insinuans, quia fortuna sua nequaquam assurgere, & in altum prouehi

prouehi potuisset, nisi ad instar vitis vlmeo nixæ fulcimento, Regali sustentata munificentiâ, supra cæteros culmen extulisset. Adeste hûc, quot-quot apud Deiparã pijs precibus euicistis, næ humi repenres, aut continuo ingrati lecti distenti eculeo, pænalem magis quàm vitalẽ vitam traheretis; & deuotis brachijs hanc Felicitatis vestræ circumplexi basim, in festiuos plausus erumpite. Sciat vestro experimento præconioque Orbis, quàm salutare sit hanc Arborem vitæ apprehendisse, & MARIANIS semper *adhærere Ramis.*

CAPVT VII.

Varijs ac periculosis iactati morbis, cùm in limine mortis hærerẽt, facto ad Imaginem Zdźieszouiensem recursu, miraculosè deploratam sanitatem receperunt.

INsignis olim medẽdi felicitate *Solymas* decorauerat Piscina, *Probatica* seu *Bethsaida* dicta, cuius aquis Vniuersale inerat cõtra quãuis morborũ: rabiẽ antidotũ neq; enim tam altè morbida

contagio mēbris insidere, aut medullis cōbibi potuit, quin potenti Piscinæ illius lauacro, ad primum statim contactum elueretur. *Qui prior descendebat* (inquit sacer Textus) *in Piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunq; detinebatur infirmitate.* Hinc ad Diuinas illas thermas, numerosæ semper ægrorum excubias agebant turmæ, per quinque superstructas porticus digestæ; vt motis ab Angelo aquis, momento raperent gratuitam sanitatem, quam frustra & pluribus lustris, & plurimis impendijs, per Artes Pœonias quæsiuerant. Portentosæ huius curationis, licet palam sit è cœlo submissum fuisse donum; certant tamen Doctores, quare cœlestis virtus, has tantùm & non alias medicâ facultate imprægnauerit vndas? & Fontem vitæ, ac Generale Elixir in paruo illo aperuerit vortice? Attactui victimarum, quæ illis primùm ablutæ aquis Deo postmodum litabantur, salutarem hanc vim tribuit Lyranus; quasi dedeceret sacros Deo, cœlisq; suffumigandis destinatos Tauros & Arietes, vinci ab illo, quem fallax Mythologia cœlis inseruit, Tauro & Ariete: nam cùm illi suos in inferiora è supernis dispertiantur influxus, æquûm erat, vt etiam initiati Numini, paribus aut melioribus influxibus, Balneatrices suas vndas irrorarent. Prouocant alij ad vitalem illius ligni gratiam, in quo vita

Probatica Piscina omnibus medebatur morbis. Ioannis 5.

Vim sanandi traxisse credita ab ablutione victimarum

vita pependit: quod tunc quidem ſub illis demerſum latebat aquis, ſed poſtea inſtante Chriſti Paſsione, cùm iam de vitâ illius à furente plebe conclamatũ fuiſſet, ſubitò emerſit, ac in ſupplicij inſtrumẽtum ſumptum, toti ſanãdo mundo ſubſeruiuit & ſuffecit. Nec mirum ſi Crux Chriſti tẽporalem ægris in aquis propinabat ſalutem, quæ per eaſdem, omnibus ſacro fonte renatis largitur æternam. Ego Magni illius Sacrarũ Imaginum vindicis *Ioannis Damaſceni* aſſonus ſententiæ, totius Prodigij cauſam ad Deiparam refero; cuius patrij Lares quoniam Bethſaidæ imminebant, proinde vim quam à *Matre vitæ* ibidem natâ hauſerat, in contiguas aquas viuifico illapſu diſpenſabat. Vnde Piſcinæ huic fortunatam in vicinia Beatiſsimæ Virginis Geneſim, gratulatur *Damaſcenus Sanctus*: *Fauſta tibi ſint omnia ô Probatica, Reginæ Domicilium &c. olim ſemel quotannis Angelum Dei excipiens aquam turbantem, & vnum valetudini reſtituentem.* Et ſanè decebat, vt illîc ſalus ab infirmis hâuriretur, vbi in viciniâ *Salus infirmorum* naſcebatur; decebat vt locus ipſe feliciſsimæ Natiuitatis hoc commodo gauderet, quatenus ad pellendos morbos ſine diſcrimine commodaret; ſi enim Poëtæ *Auratos Rhodiis imbres naſcente Mineruâ, indulſiſſe Iouem* perhibent; quantò magis fontes ſalutaris gratiæ erupiſ-

Secundùm aliosſ à Ligno crucis ibi merſo.

S. Damaſcen: Orat: 2. de Natiuit: Virg: cẽſet traxiſſe à Domo Ioachim, in qua nata B. V.

erupisse credendum est, quando in lucem effusus est *Aquæ ductus* (sic Mariam nominat S. Bernardus) *cœlestium Gratiarum*. Vnde Piscinam Bethsaida Typum gessisse conterraneæ suæ Deiparæ, quæ illi vim medicam aspirabat. Idem cēset & probat S. Damascenus, dum ait? Hæc non *Ministrum Angelum accepit, sed illum Magni consilij Angelum, qui tanquam bona pluuia in vellus absq; vllo strepitu descendit; ac in omnem naturam morbo laborantem, atq; ad interitum vergentem, certam sanitatem, vitamq; senio carentem restituit.* O quanti etiam nunc in hàc Piscinâ, non animæ modò inquinamenta, sed corporis lues deponunt! Quanti in hoc MARIANÆ Benignitatis fonte, more Aquilarum, senium morbidæ ætatis exuunt, ac in nouam emergunt renascunturq; iuuentam. Non hic per interualla, vt olim, ac statis duntaxat temporibus curati ægri, alios eiusdem gratiæ expertes, longæ expectationis tædio fatigant, aut interceptæ sanitatis dolore feriunt: *Prope est enim Deipara* (ad instar Filij) *omnibus inuocantibus eam*, & in singula momenta desiderijs accurrentium velut *Mater amabilis* occurrit; vt constet mundo, quia ipsa est *Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu* (non pedetentim) *de Libano*. Verissimè de hac Virgine S. Amadeus Lausanensis Episcopus: *In locis* (inquit) *Memo-*

S. Damascen. vbi supra.

Piscina illa fuit figura Deiparæ.

Psal: 144.

Cant: 4.

Memoriæ ſanctitatis eius dicatis, claudis greſſum, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis impetrat eloquium; curans omne genus languorum, præbenſq; innumera Beneficia ſanitatum. Accedunt ad eius limina mente capti, capite languidi, Phrenetici, Maniaci, arreptitij, nocturno phantaſmate ſeu certâ Maligni incurſione deluſi, qui receptâ ſoſpitate, Diui Muneris largitatem aſſequuntur. Erige ad experimenta oculos, quiſquis auribus lupum tenes; atque ex infraſcriptis portentoſæ ſanationis exemplis diſce, dulces ſemper, & vitæ fœcundas è MARIANO Mari, non vt alibi amaras ſterileſque peti aquas.

In Bethſaida certi & pauci: in locis B. V. ſacratis, omnes curantur.

S. Amadeus Homil: 2. de laudibus B. M. Virginis.

1. Quod olim de Africa feraci Monſtrorum Parente vulgauit Prouerbium, illam ſemper aliquid parturire noui; id iuſtiùs corruptæ Humanæ adſcribendum naturæ, quæ vbi primùm peccato ſuccubuit, fœcundum ex inde in clades vterum tulit; & noxiâ delectata nouitate, nouos morbos, imò Monſtra portentaq; morborum etiam nunc parit. Expertus id malo ſuo Anno 1614. Ioannes Villæ Łaſczyna Magnifici Dñi Zakrzewski hæreditariæ Oeconomus; cuius nouennem filiolum inſolita ægritudo, per tantam dolorum varietatem exercuit, vt ferale quodã ſcamma explicuiſſe in illo videretur, Morborum inter ſe ac de vitâ pueri digladiantium.

Puer vi morbi in delirium actus ita vt proprias carnes comederet, facto voto ad B. Virginem plenam ſanitatem recipit:

Sed non diu ferre potuit hanc mali colluuiem teneri corporis inualida compages; vnde siue atrocitate doloris efferatus, siue emotâ mente in rabiem actus puer, in seipsum dentibus sæuire, carnesque proprias, absorbente sensum excessu doloris, arrodere cæpit; futurus breui vorago sui ipsius & sepulchrum, nisi Paterna vigilantia effecisset, næ tam immanes dapes ferus comedo attingere valeret. Tandem deficientibus planè viribus, in mortem occaluit, & mortualis rigor triduo toto omnes artus possedit, exiguo duntaxat latentis animæ signo, quo interdum suspiria moliretur. Percullit omnes, qui luctantem cum morte puerum spectabant, triduaui illius agonis atrocitas; suadent proinde Patri, deuoueret Filium Deiparæ, & sistendum ante Imaginem Zdżiesouiensem, Curationum gloriâ illustrem appromitteret. Præeunt hæsitanti fide ac prece, fixisque humi genibus, vota concipiunt; & ecce Puer, veluti excusso veterno, in seipsum redire; durata fatali stupore membra, lentis iam flexibus tendere; & abactis omnibus quæ miserum cruciabant torminibus, plenam sanitatem occupare cæpit. Ita à Patre, Deiparæ gratiam prædicante, Zdżiesouium deductus, adorauit in Imagine Virginem, quæ sibi certiorem ab inferis reditum, quam Sybilla Æneæ, præstitisset.

2. Anno

2. Anno eodem. Quinquennis Puella Eua, de villâ Pieciszyce, quam Parentibus mortuis Generosa Anna Xiężynska. miseratione orbitatis tacta, in alumnam receperat, sopore vrgente in proximum stabulum secessit; & in stramine prouoluta securè somno indulsit. Erumpit interim è latibulo tortuosa aspis, & fronti dormienti lethalem aculeum infigit: quæ dolore ictum sequente excitata, postquam pendentem à fronte bestiam sensisset, auellere connisa, in maiorem furorem impulit; eò enim rabidior Aspis quia stringebatur, quâ nudum puellæ corpus in vultus patebat, aliquot iteratis morsibus eandem arrosit; sed præcipuè manibus ac pectori immedicabile virus inspersit. Mox enim Puella in liuidum colorem abire, ac grassante intus fusoque per venas veneno, grandi tumore satiscere; ita vt amisâ hominis specie, instar dolij turgens, horrorem cernentibus incuteret. Non poterat cutis tenella, virulentam sustinere infectionem: vnde impar malo, multis hiatibus findi cæpit, quasi instanti morti tot portas quot vulnera aperiret. Restabat tamen modica vitæ portio, circa cor nondum malignâ lue afflatum residua: sed cùm procul dubiò, tracturum hoc quoque contagia ab infectis iam membris crederetur, nisi potens Pericardion obstitisset; videns præfata D. Xiężynska a-

Puella ab Aspide morsa, & instar dolij tumescens, sine vllis remedijs oblata ad Imaginem, conualescit.

ska alumnam suam extremo laborantem discrimine, implorauit ocyus auxilium Deiparæ, facto ad Imaginem Zdźiesouiensem recursu; Sacratissimamque Virginem in remedium serpentini morsûs aduocauit, quæ iam olim victrice calcaneo Tartarei Draconis caput obtriuisset. Mira repente rerum conuersio; nam eodem penè quo fusa humi cum cæteris præsentibus pias preces effudit momento, cæpit Puella inspiratum virus excutere; Moles noxij humoris, quæ corpus distendebat, detumescere; aqua intercutis abigi; species amissa reflorescere: vnde breui sibi vitæque reddita, deducente Patronâ D. Xiążynskâ, adijt remedij sui originem, Dei Parentem; ad cuius præsentiam non terrenorum modò, sed infernalium serpentum malignitas vanescit.

Mulier quæ iam agebat animam, Beneficio Deiparæ è faucibus mortis erepta est.

3. Anno 1616. Anastasia Gostkowska Oppidana de Mieyskâ Gorkâ, incidit in morbũ contra omnia pharmaca peruicacem; quo in dies crescente, extremum diem inuenit, & ad illum ritu Christiano per Sacerdotes componebatur. Iam ægrè tenuem ducebat anhelitum; iam vix exili pulsu languescens tentabatur vena; iam fax mortualis in manus agonizantis data prælucebat itineri in totam æternitatem capiendo; & (quod pro maximo vicinæ mortis sumebatur argumento) adstans Diabolus, exituræ mox animæ imminebat.

minebat, & immani horrore luctantem cùm mor-
te quatiebat. Domi interea discursus ad supre-
ma officia vocantium, cùm alij sindonem inuol-
uendo cadaueri parare, alij sarcophago struen-
do fabrum quærere, omnes prædamnatâ ægro-
tantis vitâ, parentalia tantùm curare. Dum in
hac rerum vertigine, ac supremis conflictatur an-
gustijs, nonnulli pij homines agoni illi præsen-
tes, præcox miserati fatum, ad Deiparam recur-
runt; atque vt immites Parcas à rumpendo sta-
mine cohibere dignetur, fiducialiter instant. An-
nuit illa votis supplicantium: recepto enim spi-
ritu ægra, qui iam in mortis hærebat limine, de-
speratæ telam vitæ redordiri cæpit; & redeunte
in languidum corpus vigore, sensim valentior,
postquam integram resumpsit sanitatem Zdźie-
Seuium adijt; ac donatæ vitæ munus largitati Bea-
tissimæ Virginis adscripsit; Testesque ac simul
spectatores supremi sui luctaminis, R. D. dos Paro-
chum & Ecclesiasten, qui agonizantem firmabāt,
adduxit.

4. Eodem Anno. Religiosa ac Deo dicata Vir-
go Elisabeth Piotrowska, Abbatissa Trebnicensis
Monasterij, in quo sepulchrū S. Heduigis deuoto
venerātiū cōcursu colitur varios lōgo tēpore per-
pessa lāguores, ita demùm fractis viribus prolapsa
est, vt in horas animā agere videretur. Aberat diu-
turnâ

Abbatissa Trebnicensis phtisi consumpta, ad primum vigorem miraculose redit.

turnâ extenuatæ tabe, & color, & species; cùm cibi potuſque ſubeunte faſtidio, exhauſtum corpus, quotidie in præceps rueret; & fugiente ab oculis ſomno, feſſa negatæ quietis defectu membra, magis vacillarent. Acceſsit præterea frequens ſyncope; quæ interceptis ſpiritibus vitalibus, ſæpius languidam, præludendo morti, in mortis imaginem componebat. Acciti quidem ad ferendam opem Medici, tentauêre artes ſuas, verùm oneri magis quàm vſui fuêre: ſiue quod exangue corpus, multùm iam reſtincto calore naturali, præſcripta pharmaca in ſalubrem ſuccũ transferre non poſſet; ſiue quod incompertâ morbi radice, circa extimum tantùm patentium ſymptomatum corticem, inanis medentium conatus ſudaret. Sed neque peregrinis Thermarum fomentis accerſita ſanitas; quæ tametſi aliquantum molliuerint exſuccum marceſcentis corporis rigorem; neutiquam tamen tam vegetis ſpiritibus obſtipos, & humidi radicalis vix aliquid retinentes artus, imbuere poterant; vt animæ vitæque ſeruandæ ſufficerent. Mors ergo momentis timebatur: & quoties ægram ſubitus lãguor in deliquium ſoluerat, ſuprema comploratio, velut iam abeuntis Matris, toto clauſtro perſonabat. Decumbebat ita deſerta à medicis, & proximæ mortis expectatione defixa; cùm ſubeunte

unte memoriâ Imaginis Zdżießeuiensis, cæpit aliqua titillantis spei pasci voluptate, & ita Deiparam alloqui: *Licet mihi ô Domina, mundus desipiat, vt potè pridem conculcatus; si tamen Tui Filij, Tuæq́ placeret voluntati, cuperem admodicùm prorogare vitam, vt ampliatis pœnitentiæ spatijs; plenius offensum vitæ possem placare Auctorem; sequor tamen in omnibus Diuinum, Tuumq́ beneplacitũ, futura perpetuæ gratitudinis rea, si per Tuã steterit gratiam, vt gratam esse liceat.* His dictis sensit illicò arentibus membris nouum vigorem instillari, & in pristinum florem potiore iam sui parte emortuum corpus explicari. Statim igitur, vbi plenè conualuit; ad Ecclesiam Zdżießouiensem personaliter venit, ibidemque inter Missarum solennia, Miraculum restitutæ sanitatis publicè ex Cathedrâ promulgari petijt, & ipsa miraculi argumentum, Testis, Præcoque simul extitit. Intonuit deinde læto Musicorum fragore Hymnus Ambrosianus: & tandem ipsa actis gratijs, pretiosum Cymmelium gemmis adamãtibusque insigne, ad Aram Virginis, in tesseram perpetuæ gratitudinis appendit.

5. Anno 1621. Famatus Thomas Ianußewic, Ciuis & Fimbriator Posnaniensis, anginâ tentatatus, primæ curationis neglectu, aperuit crescenti inflammationi ianuam, quæ

quæ totis postea inardescens faucibus, & cibi & respirij liberam facultatem ademit. Non pepercit ille sumptibus, vt violentiâ suffocantis humoris leuaretur, & vltra quadringentos florenos prodegit in Medicos, qui strangulationis materiam, velut iniectum gulæ laqueum excuterent. Verùm pretio non venit salus; emptaque tantis impendijs antidota, & cataplasmata, non restrinxêre ardores, in Mortalem fauillam (nisi altior vis obstitisset) desituros. Biennium totum inter molestissimæ vitæ tædia, & mortis terrores decurrit; nec tamen mordax igneumque defluuium, quod velut vsucapione fauces occupauerat, deijci violentâ possessione potuit. Tandem lassus doloribus & sumptibus, patefecit sibi per deuota suspiria liberam spirandi viam: dum enim ipso Paschatis solenni die, prodigia Deiparæ ad Imaginem Zdżiesouiensem patrata animo versat; salutemque suam illi deuouet, in partem prodigij, & ipse venit; solutasque subitò tam longæ obsidionis hostilitate fauces persensit; prius pænè curatus, quàm curari poposcisset: vt experimento disceret, quàm verè Beatissima Virgo *Præoccupat eos qui se concupiscunt.* Sine morâ igitur pio accinctus itineri, Zdżiesouiam approperat, & obstructum nuper, iam verò libero tractu patens guttur, in laudes ac præconia illius Virginis explicat, quæ iniecta sibi vincula detraxisset. 8.

Biennali angina vexatus, facto voto ad Imaginem, subitò curatas fauces sentit.

6. Anno eodem. Generosa Domina Sophia Bystramowska de Grodziczno, fatali correpta ægritudine, ad extrema peruenit, & nequidquam valentibus medicis labentem spiritum medicamentis sistere, animam agere cæpit. Cernebant omnes in extremo constitutam agone, lethali sudore madere; membra omnia supremo frigore gelari; pectus tumescens cum abeunte spiritu luctari; oculos nouissimo stupore defigi; vultum in diuersa mutatum, cadaueroso liuore inhorrescere; nec cuiquam amplius domesticorum, abruptâ omni spe vitæ, alia præterquam funeris cura. Aderat animam agenti, Religiosus Pater Benedictus Ordinis Minorum de Obseruantiâ, adiutor tremendi illius certaminis, à quo tota pendet æternitas: Hic excitus famâ Imaginis Zdzießouiensis, triginta quinque & amplius leucis germanicis inde distantis, Deiparam, cuius potentia nullis arctatur spatijs, humili prece solicitat; dignaretur in illis etiam regionibus monumentum misericordiæ statuere, ac ereptâ de faucibus mortis ægrâ, *Matrem* se *viuentium* facto profiteri. Profuit aliena pietas supremis laboranti; & quæ suo iam defungebatur fato, alieni voti curata est suffragio: versâ enim repente Catastrophe, Thragicus ille Actus in Comicam hilaritatem desijt; cùm ægra duratos iam in mor-

Moribunda ab adstante Sacerdote Zdziefzo uiam oblata, á morte liberatur.

tem oculos læto lumine exporrexit, ac circumstantes insperatæ vicissitudinis nouitate attonitos, vt Deiparæ gratias agerent monuit; paulòque post resumptis plenè viribus, ipsamet Zdzieszouiam per tot terrarum spatia venit; & narratâ miraculi serie, in perenne Testimonium Argenteum Anathema Imagini appendit.

7. Anno 1625. Honesta Heduigis Molitoris de Villâ Budzislawice coniunx, totis duodecim annis, quotidianam ferme, Comitialis morbi pertulit conuulsionem; à quâ sæpius in vitæ pericula coniecta, præsertim si quando solam, & ab alijs abstractam, repentina sideratio strauit; quocirca adhibiti periclitanti custodes, vt familiari morbo inuadente, labentes spiritus idoneis fomentis instaurarent; ac næ graue illud quod toties recurrebat deliquium, in subitaneæ mortis transiret delictum, celeri subuentione prouiderent. Quæsita præterea abigendo malo remedia, opportunisque amuletis præmunitâ ægrâ, iactus veluti limes, contra chronicos violentæ affectionis recursus: sed nullum tam potens ab Archiatris circumduci potuit ex arte Æsculapij vallum, quod non disijceret immanis Epilepsiæ insultus. Vnde toties elisa, & compressis vena-

Mulier morbum Caducum 12 annis passa, visitatâ Imagine. plenè facta immunis.

rum

rum meatibus mortiferè iactata, vires deniq; totaliter amisit, ac sensim diuturno languore contabuit. Docuit interim duodennis Patientia nunquam seram Pietatem, si sit seria: nam sentiens difficulter à Medicâ Facultate optatam prouenire sanitatem, à terrenis remedijs ad cœlestia animũ vertit; reiectisque alijs Epilepticis Herbis ac Floribus, in vnius illius Officinâ totam spem defixit, quæ dicit: *Ego flos campi, & Lilium conuallium.* Cantic: 2. Nec spe suâ excidit; facto enim piæ ad Imaginẽ Zdziesouiensem profectionis voto, ac mox persoluto, non redituram ampliùs ante aras Pijssimæ Virginis deposuit ægritudinem; toto deinceps vitæ decursu, infestæ illi iactationi nunquam tentata, ac Epilepsiæ prorsus inexperta.

8. Eodem Anno. Valentinus Kowalewski de Villâ Krzywino, fœtidis vlceribus toto corpore erumpentibus insessus, in tam horridam abijt speciem, vt & cernentium oculos deformitate spectaculi, & nares putidæ saniei nidore perstringeret. Aspernati proinde Incolæ spectrum illud hominis tabo diffluentis, siue contagionis metu, siue graueolentiæ offendiculo moti, omni illi tecto ac diuersorio interdixerunt. Exclusus ergo consortio hominum, Iobum pari morbo tactum æmulatus, in fimeto consedit; & cùm vniuersi miserum abhorrerent, in illius Virginis tu-

telam se dedit, quæ nullâ cuiusquam tacta nauseâ, etiam fœdis scelerum obsitos carcinomatibus non abhorret. Distulerat aliquantùm desiderium supplicantis *Mater Misericordiæ*, morari interdum protrahereque Beneficia solita, vt dulcius sapiant diu expectata: Admonet tamen sustinentiæ dormientem, apparens in somnis, næuè moræ tædio grauetur, sed tarditatem largitionis in augmentum sumat deuotionis, benignè hortatur. Hoc veluti flabello excitus putrescens ille Vlcero, aggerat preces, multiplicat vota; donec longamini importunitate extorsit à Deiparâ munus redintegratæ sanitatis: desijt enim suppurare corrupta iam fluxaque caro; obducta sunt carne succrescente vlcera; patulæ hiulci corporis rimæ venêre ad cicatricem: ita serpentis in morem, positis veteris pellis exuuijs, fastiditus omnibus æger, viuidam primæuæ speciei resumpsit gratiam.

Vir vlceribus scatens, à B. V. per somnum admonitus, paulò post curatur.

9. Anno 1627. Magnificæ Dominæ Vrsulæ Strzelecka Filiola triennis nomine Sophia, totis duodecim Septimanis graui morbo quassata, tandem impare ferendis doloribus corpusculo, in lethalem languorem fatiscere cæpit: diriguêre exhausto sanguine artus, vultus liuido corpore inhorruit, oculos suprema caligo extincto lumine atrauit; sola tantum tenuis anhelitus indicia solaban-

Puella triennis moribunda resumptâ subitò voce, Matrem admonet vt vota pro suâ sanitate ad Imaginem Zdzieszouiësem nuncupet.

labantur Matrem, manentis animæ vestigia ancipiti fiduciâ spectantem. Verùm & hæc solatia corrupit subsequutum nouissimi agonis spectaculum; cùm ad extrema deducta Puella, palam supremum moliri spiritum, pectore conuulso cæpit. Tum verò mater, victa doloris magnitudine, linqui animo, & luctanti cum morte Filiolæ pænè commori; sed admonita à duobus Patribus S. Francisci strictioris obseruantiæ, qui vltimo illi agoni præsentes aderant, vt fatorum vices æquâ mente ferret, nec Dei voluntati inutili questu obniteretur; ponè agonizantis lectum sternitur in genua, Deum suppliciter precata, vt saltem lenitis doloribus, puellam lento obitu, ac optatâ quondam Iulio Cæsari Euthanasiâ, absumi pateretur; næ per tanta tormina, innocentem animam immites Parcæ exigerent. Mira subitò rerum conuersio: Puella, quæ hactenus sui impos sine sensu iacuerat, cùm vix fari per ætatem posset, sublatâ repente voce, Mater Mater (inquit) pone dolori modum; ego enim superuiuam, & pristinam recipiam sanitatem, dummodò ad Imaginem Deiparæ Zdźiecouiensem sistar. Visa Diuino afflantè spiramine loqui; nam cùm tot, alias vota pro salute eius nuncupata fuerint, ad Ecclesias miraculorum præconio celebres; imò aliqui angores Matris miserati, conciliando

Numini, annua sibi ieiunia Sabbathis subeunda indixerint; Locus tamen iste (quem Deus ac Deipara saluti Puellæ destinauerat) omnium memoriam effugerat. Curritur ergo statim à Matre, vix iam gaudia sua capiente ad Templū; ibidemque à Religiosis, qui supremæ luctæ interfuerant, Eucharisticon Sacrificium solenni ritu peragitur; accenso in honorem Sospitatricis Diuæ grandi cereo, quem læta Mater ad pondus rediuiuæ filiolæ formari curauerat: cumque post precum ac votorum solennia domum redeunt, sanam integrè ac vegetam, & (tanquam victæ morti insultaret) festino risu renidētem Puellam inueniunt; quæ iam omni spe profligatâ, iudicio spectantium, in non dubiam Libitinæ victimam signabatur; adeò vt veluti fato functæ, & mortualia Lineamina, & nouissimum abluendo corpusculo balneum pararetur. Tanto agmine diuersæ morborum species in teneram hanc Puellam irruerant, quantum robustissimo cuique conficiendo par esset: nam præter continua malignæ febris incendia, acuti laterum dolores, cordis palpitatio, viscerum diri laniatus, egestionis difficultas, & sparsa toto corpore mortis prodroma impetigo, excidium illius maturabant. Cessit tamen euanido impetu tota hæc Dolorum acies, postquam MARIANA dextera suppetias deficienti

Quibus nuncupatis mirabiliter conualescit.

Quantæ affectiones Puellam hanc presserint?

cienti tulit: vnde grata Parens, non multò post, incolumem Natam, velut opima de inimicâ morte rapta spolia, ad Aram portentosæ Imaginis stitit.

10. Anno 1628. Anna de Posnaniâ, Bartholomæi Fimbriatoris coniunx, Erisypelate correpta, (cui morbo rubor ex ardore accensi sanguinis proueniens vulgò Rosæ nomen dedit) seu neglectu tempestiuæ curationis; seu præualente copiâ maligni humoris, eò deuenit; vt non modò corruptis genis, omnem vultus florem ac speciē, sed mentem insuper, præ magnitudine doloris amiserit: nam subeunte cerebri vertigine, quam illa acutorum vaporum causabant suffumigia, impos sui facta, delirantium more bachabatur; ac emotæ mentis manifesta signa dabat. Accedebat horror immutatæ faciei; quæ tabo exesa, ac ichorosi profluuij acredine velut in spongiam redacta, verius spectri quàm hominis imaginem præferebat. Tam atroci malo, cùm tres integras hebdomadas laborâsset, extra omnem rationis vsum posita; contigit aliquandò lucido occurrente interuallo reddi sibi, ac Imaginis Zdzießouiensis reminisci: illic primùm agnitæ miseriæ tacta sensu, in lacrymas solui, ac Matrem Misericordiæ in auxilium precibus & suspirijs euocare; pacta pedestrem ad Imaginem eius peregrinationem, si inde-

Mulier cui Rosa faciem, imò & mentem corruperat: de benignitate Deiparæ vtrumq; recuperat.

indemnem se liberamque à tam graui morbo præstaret. Nec spreuit vota supplicantis Benignissima Virgo, etiam *desiderium pauperum ac præparationem cordis eorum* exaudire sueta: sequenti enim statim nocte, dum remissis paullulùm doloribus, liberaliùs somno indulget, sensit fœdas quæ vultum insederant squammas, occultâ vi sibi detrahi; cauos depasti oris sulcos, nouâ carne impleri; & formam habitumque primæui decoris, deperditæ faciei redire: quodque omnium instar erat, pulsis læsi cerebri erroribus, animũ ad rectè intelligendi Munera expandi. Expergefacta, cùm non vanos fuisse somni lusus, sed veram Deiparæ gratiam experimento didicisset; mox comitante marito Zdźiebouiam properauit; ibidemque facti serie coram Notario publico expositâ, quantâ & quàm facili medendi polleat facultate Beatissima Virgo, gratissimo Præconio euulgauit.

Psal: 9.

Infantulus breui à natiuitate comitiali morbo iactat9 facto ad Imaginem voto, plenè liberatur.

11. Anno 1631. Comparens personaliter in Ecclesiâ Zdźiebouiensi Generosa D. Susanna Iachtorowska, recognouit gemina Beneficia Filiolo Magnifici Dñi Ioannis de Szołdry Szołdrski à Deiparâ præstita. Hic vix dum quatuordecim hebdomadas natus, sonticum passus est morbum, tanto impetu elidentem; vt intra breue tempus, quinquaginta & amplus symptomatum conuulsiones

ſiones pertulerit. Abiecerant omnes ſpem vitæ, tot Epilepticis iactationibus attritæ; imò aliqui miſerabili patientis pueruli ad miſericordiam flexi ſpectaculo, celerem eius obitum, (næ diutiùs in ſua tormenta duraret) precabantur. Sola præfata Domina altiore erecta fiduciâ, auſa eſt remedium in cœlo circumſpicere, quod tellus negabat: humi proinde fuſa, opem Beatiſsimæ Virginis, concepto ad Imaginem Zdźieſiouienſem voto, implorat; & repentinum ſolatium piè improbæ ſpei, contra omnem ſpem niti auſæ obtinet: remiſit enim Diuinitus domita ſacri morbi ſæuitia, conquieuêre arreptitij inſultus, ſolutuſq; totaliter valetudine infans, nunquã deinde Herculeo malo laborauit. Verùm creſcẽte ætate, maius idẽ Puer incurrit periculũ: ſiquidẽ bienniũ vitæ agens, ſerpẽte circùm peſtilẽtiâ, ab incautâ nutrice hauſit cõtagiũ; quæ cùm occultò luem illã contraxiſſet, ac peſtiferis iam vlceribus ſcateret, non ceſſauit tamẽ lactenti propinare ab vberibus virus; donec erumpẽtibus palã bubonibus, Epidemiæ manifeſta, atque Aulâ pulſa, haud multò ante lactare puerum deſijt, quàm viuere. Tum verò inopinato icti diſcrimine trepidare Parentes, næ alumnus nutricis ſuæ inuolueretur fato; quibus tamen ademit metum, atque ingerebat confidentiam, prægustata iam MARIANÆ opis dulcedo; &

Idem biennis factus, periculum peſtis, quã infectus à Nutrice fuerat, patri ſpõſione factã euadit.

vadimonium fuit futuri, ſuccurſus anterior. Iterùm ergò concipiunt ad Imaginem Zdźieſouienſem vota, & periclitantis Filioli vitam in ſinum *Matris viuentium* deponunt. Nec auſa mors aggredi tali cuſtodiâ ſeptum; euanuitque ſine noxâ, tota illa infectio, quam Nutrix inſtillauerat. Cuius gratiæ grati parentes, aureum torquem in anathema perennis memoriæ, Partheniæ Imagini appenderunt.

Laborans totis 14. annis morbo diro, ac incognito, oblatus à Patre ad Imaginem, cùm iam animam ageret, integram ſanitatem recipit.

12. Anno 1632. Matthæum Honeſti Adami Cmetonis de Villâ Wilkowice filium, diri inuaſêre cruciatus, morbuſque tot diuerſis coeuntibus morbis complicatus; vt non tantùm medentium curationem, ſed rationem excederet. Carpebatur occulto igni, verùm fomenta omnia dedignante; & ſenſim tabeſcens, vſque in tertium decimum annum, non tam vitam protraxit, quàm lentam mortem; ſine ſalute ſaluus, & in tantâ conſpirantium dolorum caterua, malè incolumis. Mors tam ipſi quàm ſpectantibus leuiſsimum malorum viſa, vt potè maioribus malis terminum (ſi properaret) poſitura; optima incogniti Medicis morbi Medicatrix. Protraxit tamen illi Parca miſerabilis vitæ ſtamina, aliquando ad texendam MARIANÆ Gloriæ telam aſſumenda; quæ ſupplicem toties ſibi ægrum idcircò diſtulit ſanare, vt laborantem ſupremo abeuntis ſpiritus con-

conflictu, glorioſiùs poſſet reſuſcitare. Venitur ergò ad extrema, & poſt diuturnam pluſquã Troiani decennij obſidionem, expugnatur tandem ægri vita, tot tormentis quaſſata. Hic iam MARIANIS ſuppetijs debebatur campus, vt quæ noluerat remouere languorẽ, fugaret mortem. Nullus conſumptis (vti apparebat) viribus, ægro aderat ſenſus, nulla viuentis ſpecies; cùm mœſtus Pater admonitu nonnullorum, triduanum ieiunium, & deuotam ad Imaginẽ Zdzieſouienſem, vnâ cum filiolo (ſi viuum recipere liceret) peregrinationem ſpondet. Mota eſt Deipara pietate ſpondentis; & Filium, quem aliquot Olympiades varijs doloribus exercuerunt, non ſolùm è faucibus mortis eripuit, ſed valentem, omniumque deinceps quæ pertulit Pathematum immunem, Patri reddidit. Ita vterque Parthenio Beneficio, ſuoque voto tracti, promiſſum iter ſuſcipiunt; & MARIANÆ Gratiæ, facundos vbique Præcones agunt.

13. Anno 1638. Generoſa Eua Milonska, vnico tantùm fœcunda Filiolo, dum ſolatium ſpeſque ſuas in illo defigit, repente velut percuſſus vredine floſculus, marceſcere cæpit. Occupauerant puerum ſtrumæ, tam denſo agmine totum in corpus diffuſæ; vt ademptâ hominis formâ, membriſque omnibus puſtularum lentore obductis,

Puer puſtulis laborans, & ob ipſarum illapſu in fauces ſuffocari cæptus, inuocatâ Deiparæ ope, morti eripitur imminenti.

ctis, velut loricatus puer purulento callo cerneretur. Nec quidquam abigendo malo profuit, siue Matris solicita cura, siue medentium industria; cùm nimia peccantis materiæ regurgitatio, quotidie maioribus crustis increscceret; eòque deuentum, vt tumescente ex fluxu crasſi humoris collo, coæquatum trunco caput, veluti subductâ ceruice, accreuisse corpori putares. Accesſit ereptum oculis lumen, subtracta ori loquela, & (quod plurimùm periculi pariebat) obsesſis ingenti strumarum copiâ faucibus, negata edendi facultas: tres enim integras hebdomadas cibi ac potu expers, vitam absque vitæ nutrimentis extraxit. Conclamatum ab omnibus fuerat de vitâ Pueri lentâ tabe pereuntis: sola Mater nescio quo altiore erecta spiritu, desperatisſimo in casu, improbam spem fouere, & deploratam Filij vitam, siccis oculis transmittere. Expresſit tamen lacrymas visus deficientis Pueri supremus agon; quo tandem perculsa, secesſit in conclaue, vt liberiùs frena dolori laxaret: adhuc tamen animi speique retinens, humi prouoluitur, & *Matrem Misericordiæ*, vt Matri Miseræ succurrere dignetur, supplex implorat. Remisit statim post emissa ad Imaginem Zdżiebouiensem vota, præcipitis morbi insolentia; strumaticaque illuuies, velut occluso fonte arescere, & in

Tribus septimanis non comedit, nec bibit.

& in leues cruſtas tenuari ſenſim cæpit. Nec diu poſt integrâ potitus ſanitate Puer, in multò viuidiorem iuuentam effloruit: adeò illæſâ manente venuſti oris gratiâ, vt poſt cauos illos hiatus, qui vniuerſum corpus pertuderant, næ veſtigia quidem puſtularum, obliteratis penitus ſulcis & cicatricibus, apparerent.

14 Anno 1641. Magnificus Dñus Ludouicus de Krzycko Krzycki, incertùm quo pacto intoxicatus, vbi hauſtum per medullas virus ijt, variorum & vehementium dolorum, orcheſtra factus eſt: inprimis tamen aquâ intercute laborauit; quæ pedibus primùm illapſa, mox omnes peruagata artus, adeò lurido colore hominem infecerat, vt viuens cadaueris ſimulachrum circumferret. Vocabantur in auxilium, vt quiſque Medicorum famâ & arte inclytus; accerſebantur peregrino edita ſub cœlo alexipharmaca; & in vnius ſalutem, oriens occidenſque ſubmiſsis antidotis laborauit: ſed latiùs iam nocentis aquæ gurges inundauerat, quàm vt terreſtrium medicinarum obiecto aggere ſiſti poſſet. Creſcebat in dies cacochymia, creſcebat pariter diſcrimen & metus; morte præſentaneâ eiuſque cauſâ in viſceribus ſemper hærente. Ita biennium tranſiuit, inter atroces ſæuientis hydropis dolores, & continua formidatæ mortis ſupplicia: donec tan-

Nobilis veneno infectus, & per triennium varios dolores paſſus, auxiliante B. V. à periculo præſentaneæ mortis ſaluatur.

dem æger irritos Medicinæ fastidiens conatus, efficaciorem propulsando morbo inuenit Receptam, postquam se ad tutelam Deiparæ felici confugio recepit; & pacto visitandæ Imaginis Zdźiebouiensis illigauit. Sensit breui omni Bezoardico potẽtius Beatissimæ Virginis auxilium; nam profligata veneni malignitas à corde (cui imminebat) cæpit sudoribus discuti; dolor remitti: hydropicus tumor vanescere, & fugato liuore, qui totum corpus fuscauerat, natiui ruboris venustas pedetentim redire. Vt primùm ergò plenam resumpsit sanitatem, Largitricem sanitatis in prodigiosâ Imagine signis coruscantem, præsens adorauit.

Mulier triennio caducum morbum passa post vota visitãdæ Imaginis facta liberatur

15. Anno 1645. Honesta Anna de Krolikowo, triennium morbo Herculeo laborans (quo sæpissimè elidebatur,) posteaquã ad Imaginem Zdźiebouiensem à Rñdo Adamo Małachowski Parocho loci, cruciatus eius miserante, oblata fuit; libera deinceps ab illo violentorum insultuum eculeo extitit. Sed abscedente morbo caduco, qui corpus quatere solebat, mens leuiusculæ mulieris, damnosiore paroxysmo cõcidit; cùm ei turpissima ingratitudo, memoriam Liberatricis, & votiuæ peregrinationis aboleuit. Non tulit Deipara crassum hunc veternum; atque vt immemorem in sensum expertæ Gratiæ reuocaret, & veluti

Sed executionem voti differens grauiori morbo percutitur.

adacto

adacto stimulo, ad præstandum quod stipulata fuerat, leniter impelleret; immisit nouam ægritudinem, quæ omnes ingratæ fœminæ populata artus, ita prostrauit; vt per hebdomadam voce, lumine, cibo destituta, parùm abesset, quin obliuiosam Lethen, Lethæo fluuio expiaret. Cæterum infirmitas illa non erat ad mortem, sed ad maiorem Clementiæ MARIANÆ ostensionẽ; iterùm enim alienâ pietate allaborante, sponsio adeundæ Imaginis nomine ægrotæ concipitur, & iterùm fugato morbo deplorata vita recipitur; recurrente simul turpi neglectu vesanæ mulieris, quæ bis acceptam prodigiosè sanitatem, næ vnâ quidem gratiarum actione, referre Largitrici curauit. Potentior ergo admouendus fuit aries, vt contumacia Fœminæ expugnaretur; quæ tandem mortiferis tertiùm correpta doloribus, serò ast seriò agnouit, *nunquã impunè illudi Diuos*; vberrimisque lacrymis noxas eluens, & *Matrem Misericordiæ* propitians, aliorum etiam suffragia, ad conciliandam ipsius gratiam implorauit. Valuêre apud Clementissimam Dominam interpositæ preces; quæ magnanimi instar leonis contenta strauisse corpus, postquam mulier gratum resumpsit animum, resumpsit & Virgo Beatissima suetam miserandi gratiam; vitâque donauit extrema merentem. Quocirca pœnitens erratorum mulier,

Repetito iterum voto, iterum sanitatem resumit.

Tandem tertiò ingrata, & rursus castigata, seriò resipiscit.

Votumque redditâ valetudine deuotè exequitur.

lier, tantò maiori Pietatis sensu Deiparam in suâ Effigie adorauit, quantò magis supplicio obnoxiam (exigente ingratitudine) quàm Beneficio idoneam sese fuisse agnouit.

16. Claudat hæc fugatorum repente absq; naturæ & Artis medicantis adminiculo Morborum prodigia, emerit⁹ Societatis IEsv Sacerdos Ioãnes Bułakowski; qui personaliter comparens in Ecclesiâ Zdźiebouiensi, & Auctrici vitæ, vitam se multis nominibus debere professus, specialibus tamen specialem adhuc in cunis à Deiparâ obtentam gratiam deprædicauit. Natus ille est (vti retulit) Anno 1625. sed immaturo in lucem editus partu; quod & infantilis corpusculi exilitas, & fluxa nec debito vigore solidata probabant membra. Vnde veriti Parentes næ statim de vtero transferretur ad tumulum; cùm modica vel pænè nulla protrahendæ mortalis vitæ spes superesset, eâdem statim horâ, meliore genesi, in immortalem regenerandum per baptismum curauerunt. Superuixit tamen per aliquot hebdomadas, morbido semper affectoque corpore, vtpotè rudimentum magis hominis, quàm hominem, in exoticâ pusillæ staturæ nouitate exhibens: donec paulò post, orto in faucibus grandi vlcere, ac intercepto alimoniæ, vitalisque auræ commercio, extremum vitæ discrimen adijt. Iam

Infantulus immaturè natus, & vlcere in faucib⁹ hærête oppress⁹.

com-

compresso intus spiritu, distentum ac tumens æstuabat pectus; abireque animam crebri conuulsorum viscerum subsultus, trepidæ venæ, vultus mortuali pallore liuescens, testabantur; cùm vnus è fidentibus famulis, misertus seu afflictionis Parentum extra se præ dolore positorum, seu præcocis Infantuli præcociori fato succumbentis, procumbit in genua; & Deiparæ agonizantis pueri salutem magnâ cum fiduciâ commẽdat; voto nuncupato sese pedestrem peregrinationem ad Imaginem Zdźiebouiensem obiturum, & illùc puerum proprijs in brachijs delaturum, dummodò MARIÆ benignitas præstare dignaretur, vt sanus & incolumis deferri posset. Adhuc in supplicantis labijs piæ errabant preces, & ecce infans nutricis sustentatus gremio, attollere leniter caput, & veluti cum sputamine luctans paululùm acclinari; adiuuit excreare nitentem nutrix; cùm subitò rupto vlcere, ingens noxij puris copia, quæ Infantem strangulabat, effluxit, & reddito spirandi vsu, labentem spiritum restituit. Lætus igitur successu votorum suorum Famulus, & læti nuntij portitor ad Parentes aduolat; ac Filium quem malè in mortem genuerant, melioris Genitricis ope in vitam renatum edocet; illius nimirùm, quæ toti humano generi vitam salutemque peperisset. Vnde mox sublatum (vti

A Famulo in Deiparæ misericordiâ confidenti ad eius Imaginem oblatus, rupto vlcere mirabiliter sanatur.

vouerat) Infantem, comitantibus Parentibus ad Aram Zdźiebouiensem detulit; actisque Deiparæ gratijs, mirabilem medendi methodum, quâ in curatione paruuli vsa est, debitâ laudatione extulit.

Conspirent iam vt lubet illa Erebi monstra; ac *Terribiles visu formæ, letbumq; dolorq;* còëant, in vnum tot morborum agmina, ex nobis in exitium nostri pullulantia: securus à noxio manebit ictu, quisquis Virgineo armatus Patrocinio, tam irruenti morti, quàm eius velitibus ac emissarijs morbis, hunc plusquam Vulcanium Clypeum opponet. Subit hîc in mentem aptissimum institutæ narrationi Symbolum, *Clodouæo* Francorum Regi vsurpatum: depingi ille in argumentum fiduciæ, quam in solo Numinis auxilio locârat, iussit duas manus in habitum supplicem cõpositas, & ad superos obuersas, duabus alijs hinc inde sustentantibus; adiectâ Epigraphe *Tutissimus*. Allusit (vt opinor) ad exemplar Israelitici Ductoris Moysis, simili olim manuum extensione Amalecitas debellantis: pugnante enim contra Hostem Iosue, ipse in excelsum montem progressus, validissimas manus in subsidium nutantis Israelis tunc submisit, cùm suas precabundas in altum leuauit: quocirca næ lassis ac deciduis Moysi manibus, victoria simul concideret;

Symbolum Clodouæi Frãcorum Regis, duæ manus in altum protensæ.

adsti-

adſtites hinc inde Aaron & Hur, ſuſtentabant totius Exercitus fortunam ſuſtentantem, ac extra prælij diſcrimina orando vincentem. O quantæ in nos turmatim ruunt ægritudinum phalanges, noſtris ſtipendijs contra nos belligerantes! quanta è corruptæ naturæ intemperie, peccantium humorum prorumpunt examina! ac illud ipſum perditum eunt corpus, quo fouentur! Et quænam obſecro reprimendi domeſtici huius hoſtis ratio? Profectò nullum hîc tutamen in armis; herbarum quoq; ac medicaminum potentia vana: ſolus ille *Tutiſſimus*, qui ſupplices ad Deum & Deiparam tendens manus, Dexteram Domini in auxilium ſuum precibus accerſit: ille *Tutiſſimus*, qui terrenæ diffiſus tutelæ, ſub vmbram Virgineam (feliciùs morbos omnes, quàm olim vmbra Petri diſſipantem) prouido recurſu confugit.

Accommodatur Protectioni Beatiſſimæ Virginis.

CAPVT VIII.

Selectiora Exempla illorum, qui diuerſis conflictati periculis, ac omni auxilio deſtituti, ſolâ Deiparâ opitulante euaſerunt, poſtquàm ſe voto venerandæ Imaginis Zdźieſzouienſis obſtrinxerunt.

EX quo Nos mortales nouerca potiùs quàm

Parens Natura in mundum non tam edidit, quàm eiecit; Ludibrio statim Fortunæ, insultui casuum, continuæ periculorum vndique imminentium formidini, nudos inermesque obiecit. Ille natalis dies, qui primus nobis communem hunc propinauit aerem, fatalis simul fuit; & aeris instar, nimbos ac tempestates, innumeraque discriminum fulmina, in caput nostrum ruitura, parturijt. Hinc viuimus præsentium anxij, futurorum pauidi, ad subitos fatorum ictus intecto latere expositi, ex incerto semper euentuum pendentes; & dum alienis casibus adstupescimus, nostrorum expectatione attoniti ac consternati. Nec vlla securitatis parandæ ratio, vbi vndique technæ, vndiq; circumstant insidiæ. Mundus alliciendo decipit; Lubricum mortalitatis, per ipsas vitæ blanditias vitã subruit; Elemẽta dũ famulari vsibus nostris credũtur, occultâ conspiratione in clades nostras armantur. Creaturæ denique in *Muscipulam factæ pedibus insipientium*, seruiendo sæuiunt; & amando in speciem hamant, ac in exitium trahunt. Ita in hoc mundano orbe, nil nisi volubile; nihil in terrâ, nisi infirmis ac citò arescentibus radicibus nixum. Momento vertitur sæculi huius mare, & vbi modò luserunt nauigia, subitò merguntur. Sapienter Actiuæ sapientiæ facilè Princeps, & sequendorum cauendorumque optimus Magi-

Sapient: (4.

Nihil in hoc mundo securũ cũm ipsa securitatis auxilia in metum trãseunt.

Magister Seneca: *Sine hoste* (inquit) *patimur hostilia, & cladis causas, si alia deficiant, nimia sibi felicitas inuenit.* Subdit deinde, quò magis trepidas humanæ vitæ inter ancipitia hærentis denuntiet curas: *In ipsis voluptatibus causæ doloris oriuntur; bellum in mediâ pace consurgit; & auxilia securitatis in metum transeunt,* Nullumnè quæso tanto discriminum agmine circumuentis, ac tam variâ occultorum hostium obsidione pressis euadendi subsidium? nullum ad piscendæ immunitatis restat asylum? Torsit quondam hæc cógitatio Sapientissimum Regum Salomonem, qui interrogatus à quopiam periculorum scientissimo, Quinam in mundo locus esset Tutissimus? post longam cunctationem tandem *Tutissimum esse Sinum Matris* respondit. Et verè profectò: nunquam enim Infans materno reclinis in gremio, absque Materno periclitari potest periculo; quæcumq; discrimina puerulum premunt, Matri priùs incumbunt; cuius anxia solicitudo, firmandæ nati securitati Mænium vice est; elidens oppanso pectore contorta ab inimicâ sorte tela, næ infantem noxio ictu feriant. Non tamen omninò terrore vacat etiam amantissimæ Matris sinus, tot infantibus in gremio Matrum peremptis, ac quotidie leuissimâ ex causâ, intempestiuo abortu pereuntibus. Sola illa *Mater pulchræ Dilectionis,* quæ

Seneca Ep. 91.

Salomon interrogatus quis locus esset tutissimus, respondit quòd sinus Matris.

Ecclesi. 24.

Sed hoc de solo Generalis nostrũ omniũ Matris Deiparæ sinu verificatur.

quæ Deo in mundum edito, communem se mortalium Parentem vocari non erubescit; quoscunque amico sinu excipit, extra omnem fortunæ aleam, extra periculorum insultus ponit. Securus fatorum minas, mundi vicissitudines, versatiles ancipitis fortunæ rotas, structosque in fraudem suam laqueos, ex alto ridebit; qui tam Nobilis Matris sustentatus gremio, ipsam Virgineæ eminentiæ altitudinem, securitatis suæ habet cautionem. Quisnam enimuerò casus impugnare audeat validissimo MARIANI sinûs munimine tectos? *Ego* (inquit) *Murus, & vbera mea sicut Turris*: Verè murus Adamantinus: quia nimirùm, asserente Guilelmo Abbate, *Deipara ita est Mater ad nutriendum, vt sit Murus ad protegendum, & Materna eius Pietas, quos munit, etiam nutrit*, Non hîc ferrum, non ferro potentiùs nocentiùsque aurum, in damna cuiusquam eualescit, (cui tamen olim ahenea Danae turris facilè cessit,) Fremant licet serpentino formidabiles crine Eumenides; ringatur Triceps Cerberus, & famelicos dilatet rictus; ruant in perniciem vnanimi consertæ furore, & dira Erynnis, & ferax bellorum Enyo, & quidquid monstrorum in noxam mortalium alit Orcus; aut obliqua successibus humanis parturire discriminum assueuit Fortuna; ad solum Virginei huius muri conspectum insolen-

Cant. 8.

Guil. Abbas, in dictumCap. Vbera M. V. dicuntur Turres, quia nutriunt, & muniunt.

tes ponent animos; & ſub Fortalicio Turritæ Matris, Fictâ Berecynthiâ potentioris, conſumptâ inaniter rabie, tabeſcent & expirabunt. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*, (canit Pſaltes) vel iuxta Hebræos, *Sicut Tibicinum*. Quidni lætitiâ diffluant, & Triumphalibus tubis concrepent, admiſsi ad Mœnia Virginea Clientes? Siquidem de iniquitate fortunæ, de impoſtoris mundi fallaciâ, de continuis aduerſorum caſuum aggreſsionibus, illius ope faciles reportant Triumphos: quidni vacuum curis ac metu pectus in liberrimam hilaritatem, reas vero tot gratiarum linguas in laudes Deiparæ ſoluant? quos tanta lux ſerenat, ac diſcuſsâ periculorum nocte, felices ſine nube dies ire facit. En vel in vnâ Zdźieſzouienſi Baſilicâ, quantæ reſonant Buccinantium MARIANA trophæa populorum voces? quantis lætantium plauſibus Aula illa perſtrepit? Exprimit hoc à gratis cordibus debita Virginei Patrocinij ſuauitas: illîc enim mærore preſsi, cauſam lætitiæ; periclitantes ſecuritatis vadem; in præcipitia caſuum acti certiſsimam ſalutis ſuæ tenent ſentiuntq; vindicem. Aduerte paulùm oculos, ad pauca hæc, quæ attexo MARIANÆ Tuitionis exempla, fateberis (quiſquis es) cum Sapiente: *Quia non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædiũ cõuictus illius, ed lætitiam & gaudium*.

Pſal: 85.

Sub vmbra B. V. qui habitãt, omnes læti, quia à periculis liberi, & aduerſis.

Sap: 8.

1. An-

1. Anno 1605. Ipsis Rogationum diebus tonante cælo, excussum fulmen Gmethonis cuiusdam horreum in villâ Guminice incendit: corripuêre flammam vicina stabula & mapalia; quæ cùm rusticanæ propiùs admota essent domui, etiã huic non dubia ex contiguitate imminebat fauilla, arido præsertim stramine (quo rurales teguntur casæ) copiosum igni pabulum ministrante. Tum verò Mater familias inter sinuosa populatricis flammæ deprehensa volumina, damnatam se ad rogum sentiens, Deiparæ auxilium (omni prorsus deficiente auxilio) supplex implorat; & strata humi votum adeundæ Imaginis Zdźieśbouiēsis nũcupat. Oblitus est virium suarum, coercitus à Beatissimâ Virgine ignis; & innoxia flãma stramineos allumbens manipulos, ita ad amicas sibi stipulas hæsit, compressa natiuâ ingluuie; ac si in Asbestum, Amiantum, Adamantemq; notos Vulcaniæ potentiæ incidisset contemptores. Certè non feliciùs olim lignea Archelai Turris, superfuso ferruminata alumine, iniectas à Syllâ Felici missilium ignium sustinuit tædas; ac circumdatis vndique aridorum sarmentorum securè insultauit pyris; quàm humile, sed MARIANA virtute solidatum tugurium, de fulminei ignis rabie tunc triumphauit.

Tacta fulmine domus, & flammis correpta, mirabiliter post emissum votum ab incendio liberatur.

2. Parem de igne victoriam fusis pariter ad Deipa-

Deiparam precibus, Honesta Fua inquilina Villæ Sosnia, Anno 1612. obtinuit; huius enim domus icta fulmine, ac sequentibus ictum inuoluta flammis, tutò tamen, Salamandræ aut Rubi Mosaici instar, media inter incendia durauit, postquam illam Virgineæ Tutelæ fiducialiter cõmisit. Nullus in procinctu aderat, qui concepto iam, & ampliùs grassaturo incendio, vltrices manus inijceret; ac voracissimi Elementi insolentiam, obiecto aquarum flagello castigaret: sola inuocatæ Deiparæ mentio, tantùm effecit, vt reuerentiâ illius frenatus ignis, repentè de solitâ edacitate remiserit; & modicis duntaxat ambustionis relictis vestigijs, à depascendis ædificijs, mirabili abstinentiâ temperauerit. Impleuit tunc Beatissima Virgo, vim ac mysterium Elogij illius, à Spiritu Sancto dictati, quo *Turris Eburnea* appellatur: vt enim superpositus ebori pannus lineus (si Philippo Abbati credimus) sine noxâ iniectos ignes sustinet; & carbone viuo desuper vrente, tela subiecta aduri, flammamque concipere nequit, Eboris occultâ qualitate, veluti panopliâ violẽtiã ignium propulsante; ita Domus piæ Mulieris, simul ac in protectionem Deiparæ recommendata concessit, *Turris Eburneæ* virtutem persensit; & Fulmen, Cyclopum procusum caminis, ac illius pedissequã flammam, seruatâ omnimodis integritate despexit.

Alia itidem domus similiter de cælo tacta, nullo ad extinguendas flammas accurrente, solâ Deiparâ inuocatâ, illæsa mansit.

Cant: 7.

Philip: Abbas in dictum Caput.

3. Anno 1610. Generosa Dña Barbara Szurkowska Posnaniâ domum redux, ad fluuium Varta delata, (qui tunc plus solito restagnauerat) quò tutiùs tumentem accessione aquarum traijceret, substitit ad Pagum Kępa dictum; opperiēs hippaginem, quam remiges alterâ in ripâ detinebant. Verùm impatiens moræ auriga, quòd serius nauigium appelleret, seu peritiâ vadorum animosus, concitatos equos temerè egit in flumē; statimque propè littus, insperato abreptus vortice, ac demersus, vesanæ præsumptionis culpam morte luit, vindicibus aquis eluit. Domina verò subuerso curru in flumen euoluta, cùm paris lethi formido instaret, vtrâque manu posterioris rotæ radios corripuit; volubili illo ligno spes inanes aliquantùm sustentans. Cæterùm crescentibus vndis obruta, & simul cum curru sus deq; raptata, dimisso axe, permisit tandem vitam fato & fluuio; pænè oblita præ timore, quòd viueret, nisi quia interdum violentiori pulsata fluctu, MARIAM ingeminabat, cuius tutelæ vitam consignauerat. Nec deseruit in tanto discrimine inuocantem, Pijssima omnium Aduocata; cùm enim æstuosum proiecta in amnem, vaga fluitaret Matrona; ecce inopinatò appellit sarcina puluinarium baiula, cui incumbens, vltra duo stadia, securo natatu emensa est; donec Albertus Buxel nauta-

Matrona in rapidissimum fluuium prouoluta aliquādiu natans mirabiliter á submersione liberatur.

nautarum præcipuus, perniciore vsus lintre, properè accurit; & fessam madefactisq; vestibus prægrauatam, & iam fundum petentem, humero tenus prehendit, ac lintre exceptam, ad littus deduxit. Superuenêre postea plures remigum seriùs aduecti, qui semianimem, & epotas lymphas regurgitantem, publico diuersorio intulêre; vbi diutiùs suppresso spiritu iacens, spectatores, imagine ac opinione mortis impleuit: tandemque cardiacis roborata fomentis resumpsit spiritum, & ducto ex intimis præcordijs suspirio, viuere se professa est. Disperguntur interim qui accurrerant, ad eruendos vligine equos, & conquirendas res, quæ curru subuerso rapacibus vndis in prædam cesserant: verùm & has stupenda Deiparæ prouidentia, perire mergique vetabat: nam & scrinium aureo torque (qui pondus quadringentorum aureorum Hungaricalium æquabat) graue, in superficie gurgitis contra naturam suspendit; & binas sarcinas vestimentis alijsq; vtensibus onustas, sine vllâ iacturâ ad littus propulit. Tum verò Matrona, postquam omnia deperdita sibi, se verò mirabiliter vitæ restitutam vidit; tantæ gratiæ, à Deiparæ obtentæ, suauissimo delibuta sensu, solui lachrymas; & melioribus vndis vbertim per genas cadentibus, quàm quæ adhuc vdis stillabant vestibus, piè perfusa, omnes ad laudes

Equos item impetu aquarum raptos, & res omnes ac mundum Muliebrem integrè absque vllo damno ope B. V. imploratâ recipit.

des MARIANAS ciere; omnibus coram munus receptæ salutis, in MARIÆ Misericordiam refundere; felicem reputans quantumuis feralem naufragij casum, qui se in experimentum tantorum magnalium misisset. Nec diu morata, Zdźiekouiam, ad venerandam Imaginem Deiparæ, in quam totas spes coniecerat festinauit; & naulum, quod improbus alterius sæculi portitor Charon, iam cum Lethæâ naufraganti imminens cymbâ expectabat, in Donaria Imagini Virgineæ appendenda transtulit: argenteũ enim iusti ponderis Ostensorium, ad circumferendam in publicis supplicationibus Euchariſtiã, ac Crucem haud minoris pretij obtulit; adiectis præterea trecentis florenis in Censum, quorum fructu Ecclesiastes perpetuò gauderet.

4. Anno 1616. Famatus Nicolaus Gładysz, Notarius Iuratus Oppidi Poniedz, stagnum gelu adstrictum, sed iam flantibus Etesijs, ac Verno lacessente sole, in deliquia flexum, inconsultâ audaciâ ingressus, capitales pænè temeritatis suæ pœnas dedit: delatus enim ad medium stagni, vbi rapidior vnda lambendo subtus glaciem molliuerat, repentè dehiscens mergi cæpit. Ad vocem implorantis auxilium, accurrêre vtriusque ripæ accolæ, nihil tamen nisi inanem miserationem, & vacuos questus allaturi: nam & vitreum infir-

Ruptâ glaci mergi incipiẽ &omnium auxilio destitutus Deiparæ opem implorat.

infirmæ glaciei marmor, alieno periculo cautos proprij admonebat; & pendulũ circa ripas gelu, libero cymbarum vſui (quêis ſolis adiri poterat) intercedebat; ſolo proinde inutili ploratu officioſi, qui littora compleuerant, luctantem cum abruptæ glaciei ſegminibus, grauabãt magis quàm iuuabant, vocales duntaxat Adiutores. Dum tamen verſi ad preces, Deiparæ Nomen identidem ſuſpirant, opportunam naufrago emergendi porrexêre tabulam; qui iam conſumptis, in fruſtraneo glaciei exſcenſu, viribus, ſorberi paulatim, ac deciduis vndique auulſi gelu implicatus cruſtis, vergere in profundum cæperat. Oblatam ergo MARIANI Nominis mentionem, tanquã ſacram complexus anchoram, in eam totâ ſpe ac deuotione incumbit; votoque adeundæ Imaginis Zdżiebouienſis facto, in auctarium Mirabiliũ (quæ illîc quotidie patrantur) accenſeri poſtulat. Audijt ſupplicem Deipara, & laboranti inter duratos frigore grumos, ſtupendã ad enatandũ ſubmiſit carinam; dum cauſam exitij inſtrumentum effecit auxilij; auulſum enim ingens glaciei fragmentum, aquarum impetu, rectâ ad ipſum delatum appulit; & leui acclinatione placidè ſeſe ſubſternens, ac ludibundo flexu veluti inuitans vt aſcenderet, fatigatum excepit; ſaluumque & illæſum in littore expoſuit. Non tutiùs olim vel

Adnatat illi Solidioris glaciei fragmen, quo inſcenſo prodigioſo ad littus euadit.

ArionaDelphinus, vel Europam Taurus, vel Phryxum ac Hellen, diues aureo vellere aries, seu denique fictitia concha, impuram Venerem trans æquora vexit; atque tunc fluxa illa fragilisque glacies, mirabili Beatæ Virginis dispositione, in subitam versa nauem, saluauit hominem, quem præcipitauerat. Potens nimirùm est Deipara, cõtrarios è contrarijs elicere effectus; atq; eandem glaciem, seruandæ Clientis sui aptauit saluti, quæ paulò ante struendæ subseruierat perditioni. Adijt non multò post, Ecclesiam Zdziebouiensem nouus ille & portentosus Argonauta, Diuiniorem adoraturus Pallada; quæ sibi non decisas Idæo Monte pinus, non Dodonæas quercus, sed abscissæ glaciei frustum; in solidissimam efformauit ratem: & vulgatâ portentosæ huius nauigationis serie, audientes stupore impleuit; postquam ex ambonâ populo confluenti publicari fecit, quàm feliciter promontorium Bonæ Spei tenuerit, prælucente vice Cynosuræ MARIA.

Puella igne circumuenta, ac toto corpore ambusta, facto ad B V. recursu, intra triduum sanatur, abolitis ambustionis vestigiis.

5. Anno 1621. Generosæ Dñæ Catharinæ Szamarzewska filia Barbara, fortuito igni circumuenta, ac in præsentissimo vitæ discrimine constituta, piâ Deiparæ Inuocatione, Phœnicis instar, vitam ex igne resumpsit. Linum siccabatur in stubâ ad tales vsus paratâ; verùm plùs debito succensâ: vbi dispositos cuneatim lini manipulos; dum

dum incauta cuiuſpiam manus temerè tractat, vnum è faſcibus propiùs calefactæ fornaci admouit. Concepit ſubitò arida ſtupa flammas, & in contiguos faſciculos, momento tranſmiſit; quo viſo memorata Barbara, præfocare tempeſtiuè in primo fomite incendia cupiens, irrumpit naſcẽtes ignes; & veſtium, velaminum, ſuique ipſius obiectu, inardeſcens linum comprimere tentat: ſed iam potentior ignis præuertit improuidam, & oculos primùm inuolans, ademit idoneam ſalui receptus facultatẽ; depaſciq; furiali vredine incepit puellã, quæ ſibi pabulũ è ſtupâ negâſſet. Accurrit mœſta Mater, & ambuſtam ſemianimemq; filiam rogo extrahit; in quâ nihil de filiâ præter informe ſimulachrum reſtabat. Exederat omnẽ ſpeciem ignis, & puellaris decor, inter fumum & fauillam vanuerat; non alio habitu vel colore Semele quondam fuit, cùm tacta Iouis fulmine deflagrauit. Quid hic ageret Materna Pietas, Torrim veriùs ſpectans quam Natam? Ad Piïſsimam Miſericordiæ Matrem ſupplex vertitur, & filiam ſponſione viſitandæ Imaginis Zdziebouienſis illigat; ſtatimque die tertiâ, & corruptos flammâ vultus refloreſcere, & læſam pupillarum aciem, ad hauriendas rerum ſpecies exporrigi; & diſsipatâ, quam Vulcanus afflauerat fuligine, renaſcens filiæ corpus, natiuo rubore inſpergi vidit.

Ac næ

Ac næ memoria, tam mirabilis MARIANÆ dignationis intercideret, Zdźießouiam delata, facti seriem in publicas tabulas referri fecit.

6. Anno 1626. Sæuiente per pagos pestilentiâ, Euam Ioannis Rożek de Kokorzyno filiam, eadem lues attigit; & grauissimis laceratam doloribus, supra duos menses detinuit; voce demùm ac lumine spoliatam, ad diuturnos etiam tristis inediæ squalores damnauit: cibum enim omnem, insolito fastidio auersata, tres continuas hebdomadas, inter diros cruciatus, nullo alimentorum corroborata adminiculo superuixit; sed ita exhausta, vt cadaueris horrorem visa spiraret, *Crederes marcidos famelici Erisichtonis induisse vultus*, quem olim Ceres, subtractis edulijs macie & tabe confecisse dicitur: ita extenta lucebant ora, cani oculorum hiabant orbes, protuberantia vbique colles, extulerant ossa; vt quisquis funestam faciem spectaret, nil nisi bustum & parentália decerneret. Soli parentes Puellæ, sublimiori animati pneumate, ipsa promiscuæ desperationis argumenta, in maioris fiduciæ trahebant incentiua; & tantò magis Deiparæ deuoti, conciliando supremo auxilio instabant, quantò minùs de humano, abreptâ omni spe naturæ medicantis, præsumebant. Placuit Deiparæ pia illa precum obstinatio; quibus non grauatim annuens,

Altera pestiferâ lue correpta, cùm per tres hebdomadas, nihil cibi ac potus sumpsisset, oblata ad Imaginem B. V. mortem euadit.

Ouid. Libr. 8. Metamorph.

nuens, Puellam in faucibus mortis hærentem, ad vitæ limina reduxit; ciborum nauseam depulit; fætidos (quibus scatebat) bubones abstersit; & nullâ penitus Æsculapij interueniente ope, vagum per venas pestilentis auræ venenum, subitò discussit.

7. Coniungat hîc calamus, quos simili in valetudine, similis medelæ coniunxit euentus: nam Anno 1630. Epidemica itidem grassans contagio, Margaritam de Oppido Raßkow infecit, & mox imparem deleteriæ malignitati confecit. Destitutum sensu, omniquе vitæ carens vestigio corpus, aduocatis vespillonibus, sine vllo exequiarum paratu (prout tali tempore assolet) iussit efferri Pater; & ipse immaturum prosequutus ad tumulum funus, supremo ploratu composuit. Nondum tamen profligatâ penitus fiduciâ, antequam nouissimus cadaueri inijceretur cespes, pone sepulchrum prouoluitur in genua, dubius quidnam defunctæ precaretur? an æternam cœlestis, an temporariam & breuem caducæ huius lucis vsuram? Dum lacrymis indulget, dum hæret, & per ambigua errabundus vota, Deiparam in suâ Zdźiechouiensi Icone admirabilem, non satis certis precibus fatigat: ecce rediuiuam filiam tenues anhelitus ducere, & amissæ vitæ rudimenta, paulatim pertentare videt; ac insperati prodigij

Altera pariter peste infecta & iam ad tumulum, à desperante vitam Patre deducta post inuocatam Deiparam conualescit.

nouitate attonitus, suique vix præ magnitudine gaudij compos, reducem ab inferis natam basiis salutat, amplexibus stringit, ac direptâ ferali sindone, detractã sepulchro, paulò postZdźiesouiam ad vitale templum ducit. Illîc Victrici mortis Deiparæ, viuum in superstite Filiâ statuens Trophæum, ingentis miraculi gloriam, gratissimâ prædicatione vbique propagauit.

Matronã dehiscẽte glacie, cum curru in rapidissimo fluuio absorpta.

8. Anno 1630. Nobilis Dña Dobrosołowska, Fluuium Warta dictum, qui tunc gelu concreuerat, apud Oppidum Pyzdry transmittens, non satis exploratâ glaciei firmitate, securè inuecta est, duratas brumali Aquilone vndas: dumque carpit iter, fortuitò incidit in tenuiores glaciei partes, quas vel nondum adulta hyems, iusto rigore haud quaquam aduinxerat; vel continuus subterlabentis amnis fluctus, tepidiorue aura sensim resoluerat. Insistenti igitur cepto itineri, subsedit repentino hiatu, fragilis ille malè concamerati Amnis fornix, & præcipites hausit equos; eodemque impetu, tractus in patulam voraginem, abijt currus. Nemo aderat, qui veluti in nassam coniectæ suppetias iret, præter filium Matri tunc aurigantem, & eiusdem periculi participem; sed ferendæ opi, per ætatem inualidum. Cælum ergo petit, negantibus auxilium terris desolata Matrona; & rorantes lacrymis oculos, ad com-

ad communem omnium, potiſsimùm verò dereli-ctorum Adiutricem Deiparam flectens, vt faciliùs gratiam eius, inire occupareq; valeat, ad teſtatiſ-ma prodigioſæ ſubuentionis oſtenta, fidenter pro-uocat, per quæ Imaginem ſuam Zdźiebouiæ vo-luit clareſcere: ſeque in eandem ſortem adlegi, ac in faſtis MARIANÆ Beneficentiæ adſcribi humillimè poſtulat. Laborabant interim ferme collotenus immerſi fluuio equi, vt in ſolidam ali-cubi penetrarent glaciem; & protritis calce mol-lioribus fragmentis, faciliori exſcenſui viam pla-narent: quos admoto ſtimulo vrgebat iuuenis filius, & ſimul impactum altiùs glaciei cernens currum, ſuppoſitis ad baiulandum humeris at-tollere conabatur. Sed cùm diutiùs ſuperuaca-neo laſſaretur niſu ac ſudore, vt primùm Mater vota ad Imaginem Zdźiebouienſem concepit, ſta-tim fortiorem manum ſubueniſſe ſibi perſenſit; quæ & nitentibus equis, Alas quadantenus addi-dit, & ereptum profundo ac in ſublime elatum vehiculum, in ſolidam glaciei compagem mirabi-liter expoſuit. Agnouit ſtatim Mater alienum à filij minorennis viribus fuiſſe extracti currus o-pus: vnde enim impuberi adoleſcentulo tantùm ſuppeteret roboris? qui necdum ad iuſtæ ſtaturæ magnitudinē peruenerat, vt Milonis etiā vel Alcidæ humeros moraturum pondus, ſolus innoxiè ſuſtine-

Poſt núncupa-tá ad B V. vo-ta, ſalua cum curru ac equis euadit.

ret. Submissas proinde à Cælorum Dominâ, cælestes ad opem sibi ferendam virtutes, non vanè diuinans, vbi primùm licuit, Liberatrici suæ, liberalissimâ gratiarum actione, in Ecclesiâ Zdźiebouiensi litauit.

Mulier lintre excussa, & in profundũ fluuij mersa, ac serò post extracta.

9. Anno 1632. Honestus Adamus de Zaborowo Molitor, à vicino Molitore domum redux, ac exili cymbâ, rapidissimum Amnem vnâ cum cõiuge Catharina inuectus, postquam ad sinuosos vasti gurgitis deuenit anfractus, circumacto vertigine fluuij nauigio, in aquas excidit; rapiebaturque in profundum crispantibus vndarum implexus mæandris; sed appulsum propiùs conspicatus lintrem, & ad illum totâ vi connisus, tam fortiter prehendit, vt insidentem vxorem euerterit; quæ nandi rudis, cùm aliquantùm vestimentorũ sublata beneficio fluitasset, ijsdem madefactis depressa in fundo subsedit; priùs tamen quàm mergeretur, ad sacram anchoram, videlicet expertam periclitantibus Imaginis Zdźiebouiensis opem, fusis ad Deiparam precibus prouocauit. Serò laborantem, inter medios vortices, cernens Matrem filius, cum socijs in auxilium accurrit; iam enim aquis absorpta, prono alueo, rectâ in Rotas Molendini voluebatur: extractam proinde, & nouissimo planctu comploratam, in hypocausto molendini deponit, nulla vitæ indicia præferentem, nisi quòd

si quòd interdum leni subsultu cor adhuc palpitans sentiretur. Illi ergo corroborando, quæ Fors, & Filialis pietas suggeßit remedia, admouet: labia inprimis rigentia ad aerem liberius attrahendum diducit; aquas stillaticias infundit; pectus applicatis fomentis innatiuum calorem suscitare conatur; & omnibus modis fugientem animam sistere tentat, ne ex vnâ cymbâ, in qua malè naufragauerat, in aliam inferei vectoris, deteriore traiectu transcendere cogeretur. Tres horæ inter illa pietatis officia decurrerant, cùm tandem restituta sibi mulier, ductis ex imo corde suspirijs, in hæc verba erupit: *Beatissima Virgo tibi me commendo*. Excepta vox ingenti adstantium lætitiâ, suas pariter preces, rediuiuæ precibus sociantiū, atque vt quemadmodum Dei, sic Deiparæ perfecta fierent opera, humiliter supplicantium. Postquam igitur plenè Lethen, quam bibere cæperat excußit, Zdzießouiæ die 16 Augusti coram Imagine Seruatricis suæ comparuit; & non iam *Iunoni infernæ sacrum auriferæ arboris ramum*, vt olim Æneas, verùm tremendæ Inferorum Dominæ, cuius Munere Cocyti aquas euaserat, pijßimas gratiarum actiones obtulit.

Cùm exigua vitæ præberet indicia, voto à Filio ad B. V. facto, sibi ac vitæ restituitur.

Deut: 32.

Virg: Æneid. 6.

10. Anno 1637. Laboriosa Anna villæ Graiow inquilina, nullâ præcedente culpâ calumnijs onerata, ac eâpropter ad tetrum carcerem detrusa, do-

Mulier innocenter carcerata, ac de nece sui ipsius ex desperatione cogitans.

doloris impatientiâ, ac pedore ergastuli superante, abrumpendæ vitæ consilium cæpit. Suprema agitanti, apparuit Persona, vultu habituque supra mortalem augustiore; & de meditatæ necis flagitio increpitam, saniores cogitatus amplecti, vitamque ac Innocentiam suam, Innocuæ sine labe Virgini (quæ tot prodigijs Zdźiesouiæ coruscat) commendare præcepit. Paruit mandatis, iam dissipato desperationis nubilo læta, ac in spem libertatis erecta fæmina; flexisque genibus, ad implorandum Beatæ Virginis auxilium conuersa, votum adeundæ (quàm primùm licuerit) adorandæque Imaginis Zdźiesouiensis emisit: & statim (mirabile dictu) ruptis vinculis, & dilapsis quêis adstricta tenebatur compedibus, patentem insuper ianuam carceris reperit: quo liberè egressa, tam æmulos in exitium suum coniuratos, quàm malè credulum loci Dominum, nouitate prodigij stupefecit. Non ausi proinde damnare, quam Deiparæ suffragium absoluisset; innoxiam simul proclamauerunt, ac indemnem abire iusserunt. Quæ mox comitante Matre Catharinâ, & alijs Matronis prodigij testibus, votiuam peregrinationem Zdźiesouiam suscepit, ac seriem partæ mirabiliter libertatis Actis Ecclesiæ ingrossari petijt.

Monita per visum, vt ad B. V. recurreret, à compedibus & carcere mirabiliter liberatur.

II. Anno 1638. Nobilis Simon Tupalski in Mo-

Moschouiam abductus Captiuus, ingentes ærumnas perpessus est; annitente modis omnibus hoste in cuius potestatem deuenerat, vt eiuratâ Catholicâ Religione, in Græcum Schisma transiret. Verùm cùm à rectâ fide nullatenus dimoueri posset, & spontaneus Romanæ Ecclesiæ desertor fieri nollet, inuitus tandem ac reluctans, ritu schismatico fuit rebaptizatus. Incidit non multò post in grauissimum morbum, cuius edacitas in tantùm hominem exhausit, ac tabefecit; vt absumptis viribus, nec gressui, nec loquelæ, nec cibo quidem digerendo sufficeret. Iamque spes omnis vitæ exciderat; solabatur tamen occulto afflatu miserum MARIÆ Misericordia, cuius Magnalia ad Imaginem Zdźießouiensem identidem rememorans, in similis gratiæ fiduciam, internâ suggestione animabatur. Nec fefellit spes sua, de *Matre Sanctæ spei* benè præsumentem: breui enim & morbus Medicinarum omnium contemptor, sine medicinis euanuit; & ipse Tyrannicam seruitutem, monente ac iuuante Deiparâ mirabiliter euasit. Certè euidens supernæ opis argumentum fuit, ex intimis Moschouiæ recessibus profugum, non tantùm diras insequentis Domini manus, seueraque scrutantium in portorijs examina elusisse; sed insuper ternos rapidissimos Amnes, qui redeunti in Patriam interiacebant, modo

Grauissimo morbo laborans, valetudinem, ac simul in captiuitate existens libertatem mirabiliter recipit.

Eccles. 24.

modo nec illi ipsi qui tranabat satis cognito, transmittere potuisse. Ita fortunatus hic transfuga proprio experimento didicit, quàm verè Clientes Deiparæ assecurauerit Mellifluus Bernardus: *Ipsam sequens non deuias, ipsam cogitans, non erras, ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ Duce non fatigaris, ipsâ propitiâ peruenis.*

S. Bernar: Homil: 2. super Missus.

12. Anno 1641. Magnificus Dñus Andreas de Bnin Bniński, graui vulnere in capite saucius, non modicos sumptus in Archiatros Medicosque prodegit, vt illorum adminiculo acceptum vulnus, ad cicatricem perueniret: verùm inanem lusit operam, aduocata medentium turba; post multa enim diuersorum cataplasmatum ac receptarum irrita tentamina, totam Æsculapij sui artem, & industriam, imparem esse, grandi illi obducendo hiatui palam recognouit: cœperat videlicet, corruptum mordaci sanie vulnus, sacro igni inardescere, & suppurante membranâ cerebri seruatrice, tactum gangrænâ caput, lethali torpore obstipari. Cæterum destitutum medicorũ ope, Inuocata suppliciter Deipara non destituit; supplicéq; suum vitæ ambiguũ, quem mortalis medicina præproperè capitis damnauerat, Mater vitæ benignè absoluit; posteaquam illud ipsum desperatum Medicis caput, ad Aras Zdzieszouiensis hu-

Desperatum à Chirurgis vulnus voto ad Imaginem facto curatur.

ſes humiliter inclinauit. Quàm benè gloriatur Deipara! *Quaſi balſamum non miſtum odor meus.* illud enim incurabile vulnus, cui inualida Hyppocratis & Galeni Pharmacoceutrice ſuccubuit, Balſamicæ MARIANÆ ſubuentionis virtuti, nullo negotio ceſsit; ac pænè iam abſciſsâ ſpe ſanitatis neglectum, ſuccreſcente carne breui coaluit.

13. Anno 1644. Generoſa Dña Sędźińska, dum in Rhedâ quadriiugis vehitur, correpti panico terrore equi ferocire cæperunt; & creſcente iuuenili furore, freni impatientes, aurigam fruſtra adductis habenis, aſpera ora cohibere conantem, tergo excuſſerunt: atque ita rectore vacui, & quâ caſus ſeu impetus tulit palantes, per campos & auia, incitatiſsimo curſu Rhedam & inſidentes raptârunt. Ferebanturque in præceps, haud dubiò perituri, & eos quos vehebant perempturi, indomiti iugales; cùm præfata Domina in præſentiſsimo vitæ diſcrimine conſtituta, ad Deiparæ opem ſupplex conuertitur; ac ſe ſuaſq; Comites, voto viſitandæ Imaginis Zdźiebouienſis adigit; & ecce prolapſæ ſubitò ex antico axe, nullo impellente rotæ, currum humi leniter defixerunt; ac beſtias in præcipitia cæco impetu ruentes, pondere impacti in terram vehiculi ſtiterunt. Tanti beneficij & ſeruatæ ſalutis rea prædicta

Matrona Nobilis equis ferocibus vectá, & per auia cũ curru raptata, inuocatâ B. V. periculum euadit.

dicta Domina, paulò post Zdźießouiam venerabũda adijt, casusque sui ordinem referri in Annales Ecclesiæ, per Reuerendum Adamum Srzemensem Publicum Notarium postulauit.

Phrenetica mulier, & á naufragio, & veneno per D. Virginem præserua ur, ac tãdem amissam, mentem eiusdem munere recipit.

14. Anno 1645. Quædã honesta mulier de villâ Sierakowo, prope oppidũ MieyskaGorka, in Phrenesim prolapsa, stupẽda egit, ac pertulit: nam præter insaniã vitio feruidioris cerebri, læsæq; phãtasiæ prouenietẽ, internis etiã Dæmonũ agitata est furoribus: quorũ instinctu in profundũ puteũ vltrò insilijt, & finem malorum, quibus toto biennio conflictabatur in terris, quæsiuit in vndis. Quin & proprius illius maritus, pertæsus diuturnæ ex cohabitatione furentis coniugis molestiæ, in necem illius conspirauit: cuius vt causa auctorque lateret, veneno eandem tollere decreuit, ac de facto quater toxicum, aliud alio nocentius, insciæ propinauit; quod tamen mulier innoxio, semper haustu sumpsit, Deiparâ (vt postea reddita sibi agnouit) deletoriam virulentarum potionum vim discutiente: in huius namque Curatelam, desipere incipientem fæminam, nonnulli pij homines sortem eius miserati tradiderant, & ad Imaginem Zdźießouiensem obtulerant. Egit enimuerò fidelem miseræ Custodem, Mater misericordiæ, quamdiu à ratione deerrauit; appetitamque occultis mariti insidijs, & insuper sui ipsius homicidam,

dam, Optima Tutelaris seruauit, ac indemnem præstitit. Nouissimè vt scire posset cuiusnam gratiâ, inter tot machinatas mortes, superstes illæsaque viueret? ac Soterem Diuam agnosceret? profugam mentem deliranti reddidit: cuius adeptione doni, post biennem iacturam maximè exhilarata mulier, Zdźiebouiam sine morâ properauit; & vota ab alijs pro salute suâ nuncupata, libens grataque persoluit.

15. Anno 1652. Inualuerat atrox Epidemia in pagis Illustrissimi Dñi Iacobi Rozdrazewski Palatini Inouladislauiẽsis hæreditarijs, Kobierno, Gorzyca, Dąbrowa & Tomice nuncupatis: quæ malignâ vredine quoscunque afflauit, intra biduum aut triduum, properatâ morte è viuis sustulit; ita, vt modico interiecto tẽpore, quatuordecim Coloni benè possessionati (præter viliorem plebeculam) hâc lue serpente extincti fuerint. Imminebat & reliquis dictarum Villarum inquilinis par fatum, cùm rara domus extaret, quæ infirmo extremis laborante vacaret. Territus ergò tot subditorum miserè cadentium interitu, ac suo ipsius periculo, admonitus Possessor earundem villarum Generosus Dñus Matthæus Lisiecki, qui tunc territorio illi, titulo Arendæ cum pleno vsu fructu præerat; init consilium cum Parocho loci de propitiando Numine, cuius ira delictis prouocata,

Morbus Epidemicus in quatuor villis grassans emisso visitandæ Imaginis voto cessauit.

grassanti Libitinæ habenas laxauerat. Conuocat is vniuersum sæpedictarum villarum populum ad Ecclesiam Kobiernensem, & peractis Missarum solennijs, vltroneum ac petentem MARIANÆ Tutelæ deuouet, ac ad eius Imaginem Zdźieszouiensem, sistendum appromittit. Non ausa abhinc Mors, attingere Deuota Deiparæ capita, etiā à raptu illorum abstinuit, quos iam immissâ visceribus tabe, tumulo designauerat; & hi enim opitulante Virgine, è faucibus mortis erepti, ac cum alijs frequentissimo concursu Zdźieszouiam delati, in Festo Sanctissimæ Trinitatis, acceptam salutem, Auctrici salutis retulerunt.

Ciuitas pestifera lue correpta, postquā se populus voto adeundæ Imagin: Zdźieszouiensis obligauit, nullum deinde peste extinctum vidit.

16. Anno 1653. Cùm pestilentia per totam fere Poloniam sæuiret, Szremensis Ciuitas Regiæ ditionis, eâdem plagâ tacta, priùs se laqueis mortis vndique circumdatam aduertit, quàm insidias & signa contagionis deprehenderet: repente namque propagato malo, nullam platearum numerauit, quam apertæ luis obsidione Mors non premeret. Glomerabantur quotidie funeribus funera, vicinæq; domui, sæpè infectionis propriæ nescius, occultam mortem propinabat vicinus; & qui se immunes pestilentiæ credebant, præueniente sensum illius Tyrannide, inter ipsa securitatis illicia, subitaneâ clade concidebant. Aberat omnis spes salutis, flagrante per cunctos

Ciuitatis vicos contagionis incendio; ad illam ergò concordibus Incolarum ſtudijs recurritur, quæ Diuo Bernardo teſte: *Tota poſt Deum eſt ratio ſpei noſtræ.* Dicunt omnes Sacramentum Sacratiſsimæ Virgini, Votiuamq; ad Imaginem Zdźieƀouienſem ſupplicationem pacti, ſe Ciuitatemq; ſuam, Protectioni illius ſubijciunt. Subſedit illicò, velut in fauillam dehiſcens, noxiæ Luis flamma; nemoque deinceps ab emiſſo voto parentauit; nemo feralibus lacrymis immaduit, aut poſt amiſſum Fratrem, ſeu Cognatum, atro colore inhorruit, Vnde memor & grata ſaluationis ſuæ Ciuitas, anno inſequenti, inſtitutâ ſolenni ad Eccleſiam Zdźieƀouienſem Proceſsione, Vindicem ſuam Deiparam adorauit; ac in perenne gratitudinis Anathema, grandem argenteam laminam, Imagini appendit.

Parem experta Protectricis Virginis pari in Caſu gratiam, Ciuitas Wolƀtinenſis, Anno 1662. à peſte peruagari domos incipiente præſeruata, ſimili itidem Tabulâ argenteâ ad prodigioſam Imaginem appensâ, *Cœli Terræq; Prodigio, & Miraculorum maximo*, (ſic Deiparam S. Ignatius Martyr appellat) promiſcuâ totius populi Zdźieƀouiam confluentis, gratitudine litauit.

17. Anno 1663. Corripuerat Peſtilentia Collegium Poſnanienſe Societatis IESV, & ſtratis

Religiosus Societ: IESV à peste liberatur & in pedibus sanatur, voto facto ad Imaginem Zdzieszouiensem.

ſubitaneo impetu Reſidentium nonnullis, infe-
ctionem ad plures, terrorem ad omnes propaga-
uerat, circumuenti inopinato diſcrimine, qui Col-
legium incolebant, dum præſentaneæ mortis pen-
dent ſub ictu, pars ad præſidia Diuorum Tutela-
rium, pars ad fugæ conſilia verſi, declinandæ ma-
ligni aeris violentiæ; opportuna media conqui-
rebant: Verùm vnus è Sociorum numero, qui
Theologiæ operam dabat, R. Blaſius Gremboſz,
cùm ante quinque Menſes, propter atrocis Mor-
bi vehementiam, vſu pedum excidiſſet, & affixus
lecto, cõtagioſæ venenũ auræ, ſubterfugio euitare
non poſſet, tãquã in caſſes mortis cõiectus, in non
dubiã Libitinæ deſignabatur victimã. Interim ſu-
prema reſpectanti; & ſarcinas ad ingrediendã vni-
uerſæ carnis viam colligenti, apparuit in ſomnis
ignotæ ſpeciei Perſona; & ſi vitam manifeſto pe-
riculo obnoxiã, mortis faucibus ereptam cuperet,
ad flagitandam Deiparæ opem, quam in Eccleſia
Zdzieſzouiẽſi, obuiâ cuiq; dignatione præſtare ſo-
let, amicâ cohortatione remiſit. Nunquã illi antea
Loci ac Eccleſiæ in ſomnis exhibitæ, vlla per vigi-
liam habita mentio; haud aſpernandam tamen ra-
tus, oblatam à bono Genio, ſalutis conditionem;
poſtquam euigilauit, ſalutare amplexus monitum,
extemporarium viſitandæ Miraculoſæ Imaginis
propoſitum concepit; & paulò poſt expoſitâ Le-
giti-

gitimo ſuperiori, ſomniati promiſsi ſerie, facultatem vouendæ peregrinationis obtinuit. Egit ſtatim benignus Deiparæ Fauonius in contrariũ vela, quæ iam ſiniſtris impulſa flatibus, ad regionem Mortis, vmbraſq; ſilentûm ferebãtur: nam & peſtiferæ intactus Lui ac integer, medias inter graſſantis Epidemiæ flammas, tutò perſtitit; & profligatâ peccantis humoris illuuie, quæ ad quinquemeſtres compedes, pedes illius damnauerat, ſenſim progrediendi libertatem recipit. Geminati ergo Beneficij, à Deiparâ obtenti reus & memor, Anno proximè ſequenti, die primâ Maij, in Eccleſiâ Zdźieſzouienſi perſonaliter cõparuit, & duplicẽ Gratiã, quam Mater Diuinæ gratiæ immonẽti cõtulerat, gratiſsimo præconio promulgauit.

18. Subtraherem iam manum de Tabulâ, ne faſtidioſo lectori, parium repetitione, parerem tædium: verùm ſtitit calamum duplicatus Beatiſſimæ Virginis fauor, vni deuoto Clienti, duplici in diſcrimine exhibitus. Fuit hîc Generoſus Andreas Caſimirus de Rzeßotary Rozniatowski è Partibus Podoliæ, qui hyemali tempore, iter faciens per aduinctum gelu fluuium Vartam, ad oppidum Pyzdry, diſruptâ repente glacie, & hauſtis cum curru equis, vix ſaltu in glaciem euaſit: in quâ ſtans, & clamore in auxilium accolas fluminis ciens, cùm nemo compareret; versâ ad Deipa-

Equi cum curru fractâ glacie aquis hauſti inuocato B. M. V. auxilio emergunt.

Deiparam prece (de cuius prodigijs ad Imaginem Zdźießouiensem patrari solitis, plura inaudiuerat) laborantium in illâ voragine equorum tutelam, rerumque cum curru mersarum custodiam, benignitati ipsius commendauit. Plùs horæ spatio, in vado limosi fluminis, & deciduis glaciei fragmentis, luctabantur iugales; cùm ecce subitò, post emissam, visitandæ Imaginis præfatæ, sponsionem, adfuit illis cælitùs inditum robur; & qui modò vix titubantes gressus, inter confraga fluminis moliebantur, veluti additis alis, è profundo subuecti, incolumem currum, rebus omnibus saluis, ad littus extulerunt. Verùm maiori posthâc beneficio, eundem Nobilem seruitijs suis, deuinxit Beata Virgo, quando à vinculis Scythicis mirabiliter exoluit. Inciderat in illa, à populabundis more solito, per vicinam Tauricæ Chersoneso Podoliam Tartaris, insperatò interceptus, & ferreis onustus compedibus, ac loris adstrictus, in rigido carcere tenebatur. Apparuit huic aliquando per somnum Deipara, sereno vultu renidens; & citam libertatem appromittens, dummodo promisso adeundæ Imaginis Zdźießouiensis sese obligaret: facilè vel somnians annuit optata pollicenti; & prægustatæ libertatis ostento lætus, postquam euigilauit, somniata promissa, non inani ludibriò animi, per ea quæ concupisceret facilè

Captiuo qui se tutelæ B M. V. deuouerat in somnis libertatem spondet.

facilè euagantis, ſed vero Deiparæ fauori imputauit. Acciditque non multò poſt, vt veritas ſomnij impleretur: fortè enim fortunâ, illac tranſiens diues ex Valachiâ negotiator, & hominem catenâ onuſtum conſpicatus, quæſiuit de ſtatu & conditione prioris vitæ; atque vbi primùm Nobilem Polonum ſe eſſe, ſorteſque ditionis propriæ competentes, in Podoliâ habere intellexit; neſcio quo interno agitante inſtinctu, vocato Captiui Domino, de pretio redimendi tranſegit; ac illo in continenti numerato, exolutum vinculis, liberè in Patriam abire permiſit. Cæterùm ſuper refuſione perſoluti lytri, nunquam dictus Negotiator inſtitit; nec per ſe, nec per ſuum mandatarium, ſummas in eliberationem expenſas repetijt, æquè poſt ac ante captiuitatem, penitus ignotus & inuiſus. Vnde meritò ſubmiſſum à Beatiſsimâ Virgine; habitu Mercatoris Angelum, redemptus ex poteſtate Barbarorum Nobilis, credidit & prædicauit.

Eundem ab homine ignoto redéptum è captiuitate liberat.

Non multùm abſimili modo Turcicæ Captiuitatis mala euaſit, Famatus Martinus Cienkowicz, (prout ipſemet perſonaliter Zdzießouiæ comparens recognouit) abductus enim verſus Poſonium, ac in vincula coniectus, & diro carceri mancipatus, viſus eſt itidem ſibi cernere in ſomnis Deiparam, in ſpem libertatis erigentem; ſi rece-

Alter è Turcica captiuitate ruptis, ſponte catenis euadit.

ptâ eâdem, debitas tanto beneficio gratias, in Ecclesiâ Zdźieszouiensi exsolueret. Acceptauit conditionem dormienti oblatam, euigilans captiuus; & mox decidentibus catenis liber, sæuitiam hostium, obumbratus à Deiparâ, ne in hostili terrâ agnosceretur, effugit. Nec verò terrenos duntaxat dissoluit nexus, inuocata suppliciter ad Imaginem suam Beatissima Virgo, quos crudelis corporibus iniecit Tyrannus; etiam illa iussui Parthenio cedunt vincula, quæ reas & necdum satis expiatas animas, inter continua Purgatricis flammæ incendia, detinent.

Anima defunctæ Matronæ in Purgatorio detenta per susceptam ad Imagine Zdźieszouien: peregrinationem liberatur.

19. Attexo pro Coronide recentem & Insignẽ Potentiæ MARIANÆ effectum. Anno 1675. in Prædio Nobilis Melchioris Pniewski, post flebiles aliquot noctium gemitus, (qui toti audiebãtur familiæ) visendam se palam præbuit Nobilis olim Eua Chłapowska, Coniugis præfati Domini Pniewski Mater, ante nouennium fato functa; vultu habituque internos dolores exprimente. Territis lugubri spectaculo, cunctis qui aderant, semel & iterùm silentio transmissa apparitio: donec tertiò superueniens, & quidnam vellet? coniurata, detineri se hucusque in lustralibus alterius sæculi ignibus, asseruit; nec aliò modo succurri detentioni suæ, ac relaxationem pœnæ à Deo determinatæ procurari posse, nisi institutâ ad Imaginem

ginem Zdźiesouiensem, in suffragium animæ, pedestri peregrinatione; hoc enim pretium libertatis suæ, à Diuinâ iustitiâ definitum esse: proinde si miseratione tangerentur, sine morâ pium iter arriperent, viam sibi ad cælos, per Reginæ Cælorum auxilium, planaturi. Permouit miseranda species & querela supplicabundæ, Socrus Generũ, Genitricis verò filiam; vnde statim ac mortalis vmbra disparuit; de ferendâ ope soliciti, expetitum iter ingrediuntur, & in Ecclesiâ Zdźiesouiensi, Parentalia sacra in subsidium defunctæ procurant: & ecce, vix domum à susceptâ peregrinatione redierunt, adfuit demortuæ anima, sed abstersis iam mœroris nebulis, serenum renidens; seseque merito suscepti itineris, ac intercesione Deiparæ, solutam à pœnis professa, actis gratijs ad cælum euolauit.

Vides Amice Lector, qualiter ad ipsos inferorum manes MARIÆ misericordia porrigitur; & deuotus Imaginis Zdźiesouiensis cultus, non viuis solùm, sed defunctis suffragia præstat. Implet profectò Deipara promisi per Siracidem dati fidem: *Penetrabo* (inquiebat) *inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* O quàm auidis hiant oculis! quàm lætis deinde resonant plausibus, vincti illi sedentes in tenebris & vmbrâ mortis

Eccles. 24.

B. V. adiuuat existentes in Carcere Purgatorij.

mortis! si quando felici hoc, ac æterni luminis prodromo, MARIANI intuitus illustrantur Lumine. Catharinam Franciæ Reginam, scribit Paradinus, vt ostenderet fortunatos subditis gentibus, sub Imperij sui auspicijs duci dies, pinxisse Iridem è roscidâ nube, sensim emergentem; cum Lemmate: *Ea lux serenitatem adfert.* Multò iustius ego Imagini Zdżiesżouiési hoc subtexo symbolum: Iris nimirùm est Deipara, quondam adoptiuo suo filio Ioanni, in Circuitu Diuini Throni splendescere visa: hæc vbicunque lucis suæ radios explicat, abactis luctuum periculorumque nimbis, optatam serenitatem adfert. Huc oculos animumque aduerte, quisquis impendentem capiti, grandis infortunij vel præcocis fati, metuis procellam: *Vide Arcum* (vtar hìc verbis Ecclesiastici) *& benedic eum qui fecit illum, valde speciosus est in ortu suo.* Ad MARIAM enim sub typo cælestis Arcus respexit, MARIÆ intuitu perpetuam terris pacem sanxit Deus; quando inhorrescente tetris nubibus cælo, & ruentibus cateruatim nimbis, ab extento Versicoloris Iridis Arcu, *Signa Fœderis*, & argumenta immunitatis Noemum petere mandauit. Nemo deinceps animo concidat, si forte minetur obductum hispidâ caligine cælum; si iratus tonet æther, vltriciaque in excidium procudat, ac vibret fulmina; vbi pri-

Apòc: 4.

Eccl: 43.

Solo benigno respectu omnia serenat.

Genes: 9.

vbi primùm benignus, MARIANI fauoris affulserit respectus, *Ea Lux Serenitatem adferet*.

CAPVT IX.

Hæretici Imagini Deiparæ iniurij, grauibus pœnis plectuntur; & Dæmones ab obsessis, solo eiusdem Imaginis respectu fugantur.

HActenus per amœnos MARIANÆ Gratiæ exspatiati campos, nil nisi molles calcauimus rosas: nunc spinosus panditur tractus, qui tamen nonnisi profanos impactis sentibus atterit pedes. Nimirùm Deipara *Lilium est, sed inter spinas*. Clientibus namque suis salutis halat odorem, Hostibus lethalem sæpe infigit aculeum. Quanquam aduentitius iste, non è fortunatâ MARIANI soli glebâ exortus spinarum prouentus est. Vnde sibi imputent Virgineæ gloriæ Osores, si quando illorum vestigia, ex merito inflictæ pœnæ, velut sequaces premant spinæ: nam quod olim declamator quispiam apud Senecam, omnes sibi vias, intercurrentibus manipulis sentium, obsitas esse questus, responsum,

Cant. 2.

Hostes B. M. V. sequitur vindicta.

Seneca in Declamatoribus.

tulit; Sentes hos non è maligna pullulare humo, sed è pessimis illius enasci pedibus, tenaciterque adhærere: Mastrigibus MARIANIS seruit, qui cùm mordacibus aduersus honorem, Sacratissimæ Virginis insurgunt aculeis, iustissimè verso talione, velut circumpedes, ac vestigijs suis adnatos, diuersarum plagarum sentiunt, trahuntq; secum aculeos. Gloriatur equidem mitissima Virgo apud Siracidem, quòd *Spiritus eius sit super mel dulcis*. Et Salomone teste: *Lex clementiæ sub linguâ eius:* non patitur tamen bonitatē suam, alienæ malitiæ esse irritamentum; & habet adstites *Spiritus ad vindictam paratos*, qui reos læsæ Maiestatis suæ, æquissimâ animaduersione percellant. *Videmus Regem Apum sine aculeo esse, noluit enim natura, nec sæuum esse, nec vltionem magno constitutam petere, telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit:* Circumstant nihilominus disarmatum hunc, mellitæ propaginis Regem, armatæ aculeis satellitum turmæ, quæ partitis inter se excubijs, tanquam Custodes eius Authoritatis, (vt ait Plinius) Lateri Principis sui adhærent, & indemnitatem propugnant. Pariter & Regina mundi, tametsi *Tota suauis sit & Decora*, olim dum viueret, iniurias beneficijs vlcisci solita; ast Vniuersus cælestium Exercitus, defendendæ Genitricis Dei militat dignitati, & ipse

Eccles: 24.

Prouerb: 3.

Eccles: 39.

Seneca Lib: 1. de Clementia.

B. V. de se Mitissima, & à vindictâ aliena.

Plin: lib: 11. cap: 10.

Cant: 6.

Dominus Exercituum, Maternos Hostes, sequitur vltor à tergo Deus. Quidni enim Matris ab æterno præelectæ propugnaret honorem, qui lege latâ, Matres vniuersim honorare præcepit? quondam cùm apud homines degeret, in *similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, non erubuit MARIÆ esse Subditus; nunc postquam sub eius imperium, vniuersæ cælestis militiæ, concessêre acies; non abnuit eiusdem fieri Miles; acceptâque à Matre tesserâ, contumelias eius bello persequi; cuius etiam obsequio, omnes Angelorum legiones, auctorauit. Hinc est, quòd licet Deipara, etiam in cælis, antiquæ mansuetudinis retinens illatas sibi iniurias, solitâ conniuentiâ transmittat; Deus tamen Filius, in cuius dedecus Materna opprobria refringuntur, iustâ irâ excandescit; & Persecutores Genitricis, ac Imaginum eius, rigidissimâ animaduersione plectit.

Iniurias tamen eius vindicant Angeli. & Dei Filius.

Philipp: 2.

Lucæ 2.

Sensêre vltricem Dei manum, duo Imperij Orientis Imperatores Iconoclastæ, (vt alios omittam) Constantinus Copronymus, & Leo Quartus, Pater scilicet & Filius; quorum prior à stercore in Baptisterium egesto (dum vitalibus ablueretur vndis) turpe cognomen sortitus, longè turpiùs Ecclesiâ propagatâ Iconomachiâ contaminauit; quasi veritus, ne omissâ morum spurcitie, à significato casualis cognominis aberraret.

Constantinus Copronymus Cæsar persecutor B. M. V. miserè perit, & viuus inferni pœnas patitur.

Singu-

Singulari fœdissimus iste Cæsarum, & implacabili in Deiparam odio ferebatur; eiusque memoriam abolere penitus contendit: hinc proposito edicto (quemadmodum scribit Theophanes) sanxit; quòd si quispiam sacrum MARIÆ nomen inuocaret, criminis læsæ Maiestatis teneretur, & tanquam Imperatoris hostis, capitis aut proscriptionis pœnis subiaceret. Sed ô vana noui huius Enceladij, Dei Genitricem cælo suo deijcere conantis, molimina! Perennat hucusque, itura per gentium, sæculorumque decursus, MARIANI Nominis dulcissima recordatio, & *Beatam illam* (sicut ipsamet prædixit) *dicunt omnes generationes*. Impius verò Mariomastrix, pœnarum metu, deterrere ab inuocatione eius populos conatus, pœnas tandem scelestorum ausuum luit; percussus Anthrace, seu (vt alij scribunt) Elephantiæ morbo, & tam dirâ ardentique febre correptus, vt viuum se inextinguibili igni traditum clamaret; & serâ ast inani pœnitentiâ, propitiandæ Deiparæ, cuius cultum proscripserat, Deprecatores aduocaret. Alter eiusdem Imperij, simulq; innati aduersus Beatissimam Virginem odij, ac nouissimè supplicij hæres fuit, Leo Quartus, haud degener à turpissimo Patre Copronymo Filius. Hic quam à Parente suo, cum traduce sanguine hausit, auidissimè semper exercuit, persequen-

Lucæ 1.

sequendæ Deiparæ voluptatem; cùmque in Templo S. Sophiæ Constantinopoli, Imaginem ipsius vidisset aureâ coronâ redimitam, in quâ raræ magnitudinis fulgebat carbunculus; ausus est illam Sacræ Iconi detrahere; ac profano suo capiti impositam, triumphantis in morem, totâ Vrbe Constantinopolitanâ circumferre. Non tulit vltra Deus arrogantiam hominis, spolio Materno palam iactabundi: vix enim in capite impij radiauit carbunculus, coronæ illi aureæ (vt diximus) insertus; & ecce erupit ibidem, nominis eiusdem tetrum ac lethale vlcus, Medicis Carbunculus vocatum; quo sensim crescente, ac insanum cerebrum, frontemque effrontis Cæsaris occupante, primùm in febrẽ, deinde in rabiem incidit; ac post paucos dies, sacrilegam animam, inter miseros eiulatus, euomuit.

Leo Cæsar. auream coronam Carbũculo Lapide insignem, ex Imagine B. V. detrahit.

Et mox orto in fronte vlcere, quod Carbunculus vocatur moritur.

Verùm quorsum per externa vagor? cùm domi suppetant euidentia, sumptæ à Deo de Hostibus MARIANIS, vindictæ exempla; ad hanc enim ipsam, de quâ scribimus Imaginem Zdźiekouiensem, quemadmodum deuoti ac supplices, pietatis suæ præmia, sic Hostes Hæretici, Perfidiæ inuenêre supplicia.

1. Ducat horum agmen Hæres quondam Oppidi Borcensis, in cuius territorio sita est Ecclesia Zdźiekouiensis; Familiæ quidem Illustris Co-

mitum de Bnin, sed fidei deprauatæ; quam ab exteris, Lutheri doctrinâ imbutis, dum scientias conquirit, imprudens hausit, Indixit hic prout à Magistris nouæ sectæ didicerat, noua bella Superis; & præter binas Imagines è ligno affabrè sculptas, vulcano traditas, sed Deo conseruante flãmis inuiolatas (de quibus supra egimus) in exitium insuper MARIANI cultus, totis viribus mouit; & Templum Zdźieszouiense, antiquâ Religione venerandum, (in quo Imago hæc extabat) polluere, ac in stabulum conuertere cupiens, gregem Ouium per Opilionem induci illûc includique iussit. Adfuit Profanatori loci sacri propera vindicta: eâdem enim nocte, quâ stabulari Oues in Ecclesiâ Beatæ Virgini dicatâ cæperunt, internecione deletæ, quænam pœna Dominum maneret (si resipiscere nollet) admonuerunt. Nihilò tamen ille mitior, aut castigatione Diuinâ coercitus, iteratâ expeditione ad iniurias Deiparæ accingitur; & ne Orthodoxi, clade extinctarum ouium, tanquam cælitûs immissâ, exultarent, vulgatâ famâ oues veneno interceptas perijsse, alium gregem adornat; cuius statione Religionem templi expugnare, & reuerentiam Imagini detrahere posset. Leniùs iam in furibundi Hæretici vesaniam, animaduertit vindex Materni Honoris Numen; & *Contra folium quod vento rapitur osten-*

Oues ab Hæretico Hærede in Templo B. V. Zdźieszouiensi clausæ, vnâ nocte omnes mortuæ:

Alius grex illuc immissus Diuinitùs dissipatur, & Ouile à Turbine euertitur.

Iob 14.

ostendere potentiam suam nolens, satis habuit excusso, nocte concubiâ fulmine, ac diffractis seris, quibus fores templi munierat, perterrefactas Oues, hâc illâc per campos syluasque dispersisse: ne tamen totalis impunitas ad similia attentanda incitamenta esset, Inflatum furentemque Hæreticum, per flamina ac furias Ventorum castigauit, qui eâdem nocte concussum Ouile funditùs euerterunt. Desijt abhinc prælia moliri aduersus Superos, non tam agnitæ veritatis amore, vel promerendæ apud Deiparam gratiæ cupidine, quàm maioris pœnæ formidine: quin etiam vt vetus templo constaret Honor, contra placita suæ fidei, Catholicis indulsit, vt ter in anno solennioribus festis, publico sacrificio & cultu, Beatissimæ Virgini ad Imaginem ipsius litarent. Ita tūc per depressum Hæretici *aduersus Deum erecto collo currentis* caput, qui adesse Loco illi Manum Domini persensit, Victrix Deipara frem̄ente, frendenteque inferno, triumphauit; ac venerationem Imaginis suæ stabiliuit. Iob 15.

2. Grauiores multò temeritatis suæ luit pœnas, Nobilis Matrona Generosa Domina Twardowska, eiusdem Lutheranæ sectæ alumna, ac pari in Deiparam spiritu animata. Audiuerat illa famâ crebrescente, de insigni gratiâ Generosæ Dominæ Szurkowska præstitâ, quam in fluuio Warta nau-

Nobilis Matrona Miracula Imaginis Zdzie szouien: deridere ausa, terribili morte perit.

ta naufragam, omnisque humani auxilij inopem, inuocata Deipara prodigiosè saluauit; (prout habes capite proximo miraculo octauo) & de fide miraculi ambigua, explorare certiùs rei gestæ auebat. Cùm ergo eodem ipsa Anno 1610. post Pascha Posnaniam iter faceret, & ad prædictum fluuium Warta, qui Ciuitatem præterfluit, villamque Kempa nuncupatam, vbi miraculum contigit, venisset; antequam currus hyppagine traijceret, ipsa paruo lintre; in alteram ripam deuehi cupiens, acciri præfectum remigum, Honestum Albertum Buxel iussit; & curiosè percunctari cæpit, num ille esset, qui haustam vndis D. Barbaram Szurkowska, periculo submersionis exemisset? Respondit Ratiarius, dictam Dominam non sibi, neque vlli hominum, sed Deo ac Deiparæ salutem debere; quæ sola laboranti, inter tantos rapidissimi fluminis (quo tunc plùs solitò intumuerat) æstus, præsto fuit, supplicemque suam non deseruit. His auditis leuissima mulier, suetam Hæreticis conuitiandi Gesta Deiparæ licentiam; palam exerere; Potentiam eius cachinnis explodere; Miracula Zdźiesouiæ patrata ad apocryphas Catholicorum fabulas referre; aliaque contumeliosa, Lutheraneo impulsa genio, blaterāti ore; in Beatissimam Virginem effutire. Conabatur petulātiam, garrulæ fœminæ frenare, pius Vector

Vector, ne tam securâ maledicentiâ Honori Deiparæ derogaret; monebatque, vt metueret Vltorem Filium, cuius Matrem tam liberè canino dente lacerabat, ne in illo ipso loco ac Fluuio, monumentum fieret Furoris Domini, in quo Domina Szurkowska, facta est ostentum Fauoris MARIANI. Verùm surdis auribus excepta monitio; tantò procacius virus suum euomente muliere, quantò magis ad saniorem mentem reuocabatur. Non distulit vltionem, accensum zelo Maternæ contumeliæ, Numen: vix enim lintre exscenderat præfata Domina, ecce horribilis turbo coortus, miscere cuncta repentinâ vertigine, & ipsa velut sideratione tacta, in terram labi, atque animo linqui, sublatam humi famuli, in proximum collem deportârunt, leuamen aliquod subitaneo deliquio, è purioris auræ afflatu quærentes: sed enim valescebat magis immissus à Deo in pœnam blasphemiæ morbus, & totum corpus non tam liuore tinctum, quàm fuligine quadam Tartarei ignis præuiâ seu indice atratum apparuit; paulò post linguam, Cælorum Reginæ insultare ausam, pectore tenus exeruit, pice nigriorem, vt cōstaret obfuscatæ MARIANÆ Gloriæ, meritas pœnas dare: tandem horrendùm irrugiens, inter diros cruciatus, & terribiles mugitus, veriùs quàm gemitus, infelicem animam efflauit. Historiam

Post mortem cadauer eius nigerrimum ac velut pice stygia perfusū apparuit.

ſtoriam hanc ſumptæ à Deo, de maledicâ fœminâ vindictæ, oculatus teſtis prædictus Albertus Buxel, adſtipulantibus ſibi, pro tunc præſentibus ratiarijs, in præſentiâ Reuerendi Patris Felicis Duranij, & aliorum plurium retulit; eamque Reuerendus Adamus Szremenſis, Notarius Publicus, Actis Eccleſiæ conſignauit.

Exercitus Hæreticus Comitis Mansfeldij deprædari vult Templum Zdzieſzouienſe B. M. V.

3. Quod ſubijcio Factum, nullam quidem ſpirat vindictam, inſigniter tamen MARIANAM in coërcendis Hæreticis manifeſtat potentiam. Anno ſiquidem 1627. ipſo Feſto S. Iacobi Apoſtoli, inuaſit maiorem Poloniam, ingens ex Hæreticis conflatus Exercitus, à Comite Mansfeldio contractus; qui inter primos Bohemicæ rebellionis authores non poſtremus, etiam fractis partibus, acceptâque ſub mænibus Pragæ, in Albo Monte clade, nihilò mitior, ſed pacis impatiens, contumacē aduerſus Cæſarem ſpiritū gerebat: cuius ditiones, cùm aliquot deſultorijs legionibus pererrans, & ferro ac flammis cuncta miſcens, poſtquam validiorem ex colluuie Volonum, in ſpem prædæ excitorum, contraxiſſet manum, in Sileſiâ fato conceſsit: Exercitus verò amiſſo Duce orbatus, ſub ſigna Guſtaui Adolphi Sueciæ Regis (qui tunc in Pruſsia bellum gerebat) tranſire volens, locuſtarum inſtar, maiorem Poloniam inundauit. Nihil fæci illi Militum ſacrum fuit aut Venerabile; ſiquidem

quidem sola spolia, stipendiorum loco, numerantes, eò licentiùs grassabantur; quia nec strategis voluntarios manipulos trahentibus, liberum Ius pœnæ, nec militi gratis sub signis merenti, vlla obseruantia disciplinæ. Expilatæ proinde Nobilium Curiæ, direpta argentea aureaque Ecclesiarum suppellex, & quidquid in sacris vasis pretiosum; subiecti quæstionibus, quos ampliores fortunæ hostili rapinæ magis opportunos, effecerant; & alia infanda commissa, quæcunque audere solet militaris insolentia: *Gladiusq́; felix, cuius infecti semel, vecors libido est.* Imminebāt atroces illæ Harpyiæ, etiam diripiendæ Ecclesiæ Zdźiebouiensi, de cuius Thesauris famâ vulgante, vbi (quod credibilius est) Hæreticorum in Vicinâ Silesiâ degentium suppositione, multa didicerant: sed Deus ipse, intentæ in prædam auaritiæ obicem iecit; & quam Lutheranus miles, certâ spe deuorauerat offam, pænè è faucibus illius mirabiliter extorsit. Venerant iam Vniuersæ Legiones, ad Oppidum Pogorzel nuncupatum, vno tantùm miliari, ab Oppido Borcensi distans, & modico dūtaxat nemore interiacente seiunctum; destinauerantque Duces rectâ tendere, & Hæreticam rabiem, simulque inexplicabilem cupiditatis orexim, partis de Imagine Zdźiebouiensi opimis spolijs exsatiare; cùm ecce, operante procul du-

Seneca Tragædus.

Sed Deo operante aliò diuertitur.

cul dubio Numine, subita destinati itineris obliuio vniuersos cepit, aut occultus forsitan terror, super hostē irruens, furiosa molimina abrupit, aliâ enim conuersi viâ, versus Gostinū, per Szeleiow, populabūdos manipulos per obuia quæq; omisso Zdźiećouio, explicuêrūt. Ita tunc impletū est S. Spiritus effatū: *Dissipat Deus cogitationes malignorū, ne possint implere manus eorum quod ceperāt.* Ausi tamē sunt Quingēti, ex illo Exercitu grauioris armaturæ, seu loricati Equites, cupidine prædæ audentiores, Ductore Baudisio Zdźiećouiā petere; & iam se Cāpis Borcēsibus (depopulato Szeleiewo pago sic dicto, ac præstāti diuiteq; eiusdē Curiâ) infuderāt, ac Templū Deiparæ sacrū, in procinctu & ante oculos extabat. Verùm dum aciē instruūt, dum sese per turmas cuneosq; digerūt, & assultū ac irruptionē parāt; apparuit illis repētè, longè numerosior ex aduerso exercitus, pansis vexillis, varioque fulgentiū armorū genere, oculos perstringēs, quo viso territi, non tam receptui concinârunt, quàm turpē fugā cōfuso agmine, turbatisq; ordinibus arripuerūt. Illos deinde per agros syluasq; sparsos, & palentes, coactæ ad reprimendam vim Hostilem, Polonorum cohortes sparsim oppresſêre. Ductor verò seu Colonellus illorum Baudisius, animo supra staturam maiore, & militiæ vetus, viuus in potestatem nostrorum venit, & Posnaniensis Ar-

Iob 9.

Alia eiusdem exercitûs phalanx per mirabilem visionē, à proposito deteretur,

ſis Arcis Carcerem ſubijt. Huius admirandæ, hoſtibus verò formidabilis viſionis veritas, ex relatione ipſorummet innotuit; quorum pleriq; capti, tum ſponte, tum eculeo admoto per tormenta interrogati, ſeriem oſtenti aperuerunt: quâ cognitâ, & multorum fide dignorum conſono teſtimonio comprobatâ, Rñdiſsimus Ioannes de Zaleśie Baykowski, Epiſcopus Ennenſis, Suffraganeꝰ & Officialis Generális Poſnanienſis, tam inſignis beneficij memoriam, in Acta Eccleſiæ Zdźieƀouienſis redigi præcepit.

4. Enituit eadem MARIANA virtus, in cõpeſcẽdis Hæreticis recentiori æuo, cùm Carolus Guſtauus Sueciæ Rex, illorũ Coryphæus, poſt occupatã ſpecioſo Protectionis titulo Poloniã, Anno videlicet 1655. detractâ Vulpinâ pelle, quã ex præſcripto Lyſandri ad tempus induerat, Leoninã reſumpſit; Leonemq; ſe (prout in Gẽtilitijs Sueciæ Inſignibus præfert) rapacitate & inductâ Tyrannide exhibuit. Bonis ille à principio regnabat artibus, communi Polonorum vtilitati, non priuatæ ambitioni expeditionem ſuam militare profeſſus: verùm hæc regnandi moderatio, tantiſper duntaxat tenuit, quamdiù ex vſu fuit ignaros externorum aſtuum, ac ſuo quemque candore metientes Sarmatas, callidâ ſimulatione ineſcâſſe. Poſtquam occupatis Vrbibus ac Fortalitijs, aucto

Carolus Sueciæ Rex ſpecie Protectionis occupat Poloniam.

è vicinis Silesitis, Germanisque eâdem tabe Hæreticâ infectis exercitu, tracto in partes deterrimo quoque indigenarum, ac nouissimè transitione Quartianorum Militum factus valentior, satis sibi quæsitum virium putauit, ad perdomandos refractarios, si qui iugum excutere molirentur; depositâ falsi Protectoris personâ, quam hactenus sumpserat, Regem se Poloniæ palam ferre; & assertum armis Regnum, armatâ manu, silentibus iam inter arma Patrijs legibus, administrare cæpit. Impositum priuatim omnibus, non requisito Ordinum assensu, intolerabile tributũ; interdictum omne fas consultandi in commune, agitandorumque Comitiorum; proscriptum Ius vetandi, Polonæ libertatis basis; & cuncta à solo Regis Sueci, despoticè iam Regnantis nutu expectari iussa, etiam Imagine libertatis sublatâ. Sed præcipuus Tyrannicæ dominationis furor incubuit Ecclesijs Catholicis; ad quarũ perniciem, & successiuè excidium, immaturo nimiùm impetu ferebatur hæretica rabies; sibi ipsi hac oppressione exitium (quod euenit) maturans. Violata velut per lusum conniuente Tyranno eiusque administris templa; ablati apparatus sacri, & in profanos vsus versi; contaminata, imò (horrendùm) pedibus calcata Sanctissimæ Fidei nostræ Mysteria; Sacerdotes in vincula coniecti, & grandi ære

Libertates Nobilium tollit, & Ecclesias spoliat.

di ære extorto, ægrè demissi: nihil deniq; intentatũ & inausum, quod odiũ hæreticæ prauitatis aduersus Personas Ecclesiasticas suggessisset. Illud mirabilè euenit, quia tam soluta & in omne nefas proiecta Hæresis, cùm per totam Poloniam, secura iam partæ Dominationis, bellum Ecclesijs indixisset; & ipsum Montem Clarum antiquâ Religione, MARIANÆque Imaginis à Sancto Lucâ depictæ Veneratione celebrem, bimestri obsidione premens, in prædam libidini suæ designâsset; à solo templo Zdźieszouiensi, eiusq; seruitijs adscriptis Presbyteris, violentas manus prodigiosâ planè abstinentiâ cohibuerit. Inuitabat opportunitas iniuriæ, nullis mænibus incincto nec propugnaculis fossisque munito loco; qui medio itineris situs, inter Posnaniam & Calissium Ciuitates Suetico præsidio insessas, obuiâ ad rapinas facilitate, commeãti illâc quotidie hosti eiusque patebat licentiæ: aderant præsentes sacrorum Mystæ, & loci & ministerij sui etiam inter continua necis discrimina tenacissimi; quos non fidei solùm diuersitas, sed questus ac extorquendæ pecuniæ spes, Hæreticæ vexationi obnoxios reddebat. Mirabilis tamen in omnibus operibus suis Deus, *qui conclusit ora leonum, & non nocuerunt Danieli*, innouato veteri prodigio, etiã Sueco Leoni auidas obstruxit fauces, vt per to-

A Templo Zdźicszouiẽsi expilando Diuinitũs cohibitus eius miles abstinuit. Daniel: 6.

tum biennium, quo insolenti Dominatu Polonam pressit Aquilam, ne acum quidem è Templo Beatissimæ Virgini dicato tollere, aut pilum de capite cuiusquam Presbyteri violare præsumpserit. Atque hoc mihi Prodigiorum maximum videtur, Deo per dilectam Genitricem contraria è contrarijs eliciente: neque enim maioris potentiæ censeri debet, ferrum Elisæi leuibus vndis innatâsse; aut tres pueros Babilonicam in fornacem coniectos, allambente non absumente flammâ, innoxios perstitisse; aut absorptum à Ceto Ionam, in viuo illo sepulchro triduo viuum superstitemque durâsse; quàm Zdżiesouiensem Basilicam famâ thesaurorum inclytam, duabus infernalibus Furijs, Hæresi & Auaritiâ instigantibus, & auidissimo rictu ad sacra spolia hiantibus, tutam tamen, indemnem, inuiolatamque mansisse. Protexit nimirùm Locum Deipara *sub umbra alarum suarum, donec transiret iniquitas.* Disputans S. Hieronymus de magnitudine operũ Christi, nullum maius ab illo in humanis agente, signum præstitum esse credit, super illud nunquam antea visum de auaritiâ victâ erectum trophæum; quod palam statuit, quando repertis negotiatoribus in templo Hierosolymitano, *cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoq; & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas*

Quod pro maximo miraculo habendum.

Psal: 56.

Ioan: 2.

mensas subuertit: tunc enim compressis mirabiliter & ne hiscere quidem ausis Pharisæis, qui profana in templo exercebant mercimonia, velut captiuam catenatamque Auaritiam in triumphum duxit. En ipsa maximi Doctorum verba: *Multi arbitrantur maximum esse signorum, quòd Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex vtero lumen acceperit, quòd ad Iordanem vox Patris audita sit, quòd transfiguratus in monte, gloriam ostenderit triumphantis: mihi inter omnia signa hoc videtur mirabilius esse; quòd homo in tantum vilis, vt postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra sua destitui, potuerit ad vnius flagelli verbera totam eiicere multitudinem*. Nec verò nudè & absque ratione sentit ac scribit: nam cætera miracula patranti Christo, obsecundæ ad omnia iussa, absque vllâ repugnantiâ aptauêre sese creaturæ; ast auri sacra fames, & Amor insanus habendi, qui sæpiùs vsque ad insaniam agitante lucri cupidine efferuescit, sine magnis animorum motibus, componi non potuit; quos sedasse, & furentem iacturâ dispersi æris turbam leni malaciâ consopîsse, magnum profectò Diuinæ Dexteræ Opus & Argumentum fuit. Certè victoriosus ille Chananæorum Regum debellator Iosue, cùm cælestes sphœras, eorumque rapidissimos motus solâ voce cohibuisset, *Steterunt enim*

Iuxta S. Hieronymũ maximum Christi Miraculũ fuit, quando effuso nummulariorum ære Auaros frenauit.

S. Hieron. in dictum Caput.

Iosue qui Solem in cursu stitit, auaritiã sistere non potuit. Iosue 10.

nim Sol & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis, obediente Deo voci hominis: effrenem tamen vnius Achami tollentis de Anathemate Iericho cupidinem, propositis minacibus edictis cohibere non potuit; hinc sapienter S. Ambrosius: *Iesus Naue* (inquit) *potuit solem sistere ne procederet, Auaritiam sistere non potuit ne serperet: ad vocem eius sol stetit, auaritia non stetit: Sole itaque stante, confecit Iesus triumphum, auaritiâ procedente pænè amisit victoriam.* Agnoscas beueuole Lector, quantæ molis sit attrahere frenos cupiditati? quam arduum, abreptam speciosis opum illicitis, auarorum hominum placare orexim? Placauit tamen hanc, & quidem sufflante Hæresi magis inardescentem Deipara; circũscripsitque infidelis exercitus, ne pro libitu noceret insolentiam: & quia Prophetâ attestante, *Cor impij quasi mare feruens*, turbulentum hunc Oceanum, *circumdedit terminis suis; & posuit vectes & ostia, & dixit, vsque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Iosue 7.
S. Ambr: lib. 2 Offic. Cap: 26.
Isaiæ 57.
Iob 38.

A compressis Hæreticis (de quibus partos superius numeraui triumphos) ordine naturæ vocor, ad prosequendas Beatissimæ Virginis de parente illorum Diabolo, victorias: ex hâc nimirùm radice, pullulâsse has stirpes, asseuerat suprema veritas, *Vos* (inquiens) *ex Patre Diabolo estis.* Et

Ioan: 8.

S. Po-

S. Polycarpus, S. Ioannis Apostoli discipulus, Smyrnensium Episcopus, cùm ei Romæ diuersanti fortuitò obuius fuisset Marcion Hæreticus, & diceret, Cognoscis nos? Respondit; Cognosco Primogenitum Diaboli. Cùm ergo Congenitus Parentem proli adunet nexus, sequatur partus suos stygius Pater; & vel inuitus subdat tumentia colla huic Mulieri, quæ iuxta Dei Oraculum, *superbum ipsius conterit caput*. Profectò nihil æquè formidabile instat Principibus Tenebrarum, atq; hæc ILLVMINATRIX, totaque luminosa Virgo, vti ipsum MARIANI nominis docet Etymon: Magis enim vruntur vnico Deiparæ aspectu, quàm totis gehennæ rogis; & plùs illos cruciat deuota huius Virginis memoria, quàm horribilis illa nunquam extinguendi Tartarei ignis flamma. Expressisse id videtur sub mystico tamen Allegoricarum vmbrarum velo, Spiritus Sanctus, trepidum maleficorum omnium patientis Iobi calamo describens genium; Lucifugam enim asserit esse Nequitiam, & Adulteros, Homicidas ac fures, conscientiam tenebrarum quærere: *quod si* (ait) *subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis*. Quàm aptis malitia Diaboli, penicillo Diuini Pneumatis depicta est coloribus? variegata titulis, circumscripta Epithetis? *ipse nimirum*, (si Doctori Seraphico credimus,) *Homi-*

Hæretici Filij sunt Diaboli.

S. Hieron: de scriptoribus Eccl.

Genes. 3.

Maria sermone Hæbreo significat Illuminatricem.

Lumen hoc B. M. V. perstringit Dæmonia.

Iob 24.

S. Bonauent: Speculo Virg. Cap: 3.

Homicida eſt, quia genus humanum occidit: Fur eſt, quia quæcunq; poteſt nobis bona ſubtrahit. Adulter eſt, quia ſponſam Dei animam corrumpit. Sed ecce ſceleſto huic, & ſcelerum omnium Magiſtro, parata deſuper imminet vindicta, non ab excuſsis Tonantis fulminibus, verùm à Roſeo Auroræ vultu, illius videlicet Virginis aſpectu, quæ *Auroræ conſurgenti* à Salomone pariatur. *Si enim ſubito apparuerit Aurora*, (proſequitur diſcurſum S. Doctor) *id eſt, ſi cito nobis ſuperuenerit MARIÆ gratia & Miſericordia, arbitrantur vmbram mortis*: id eſt: *Sic timent Dæmones, ſic fugiunt, ſic trepidant, ſicut fugiunt & timent homines, vmbram mortis.* Io Triumphe? debellata eſt tota inferni potentia, & proſtratæ Dæmonum acies, vnico Auroræ noſtræ radio, Deiparæ ſcilicet aſpectu; iuſtius proinde gloriari poteſt, quàm deuicto Ponti Rege Cæſar, *Veni, Vidi, Vici:* Si quidem ſolo oculorum fulgure, ſi ſubito apparuerit, percellit & diſsipat Tartareas legiones. Pulchrè deuotus quidam MARIÆ Cliens, vt ſupremum eius in ipſos inferos exprimeret imperium, pingi iuſsit ſuffuſum natiuo colore Phoſphorum, è nubibus radios vibrantem; ſubtus verò trepida ferarum belluarum agmina, hûc illûc in obſcuros ſaltus, ac nigros lucorum receſſus propero greſſu diffugientia, addita Epigraphe,

Cant: 6.

Sicut Aurora maleficis, ſic B. V. terribilis Dæmonibus.

Ambr: de Biſc.

Hâc

Hâc oriente fugamur. Fugantur enimuerò infernales bestiæ, & imis Erebi abduntur, trepidumq; caput occulunt antris; quoties Aurora hæc, æternæ lucis Prodroma imò baiula, optatam terris inuehit diem. Vidit risitque non semel Triumphale Zdźießouium turpes Dæmonum fugas, vbi primùm euolutus Cortinâ, radiantis in Imagine suâ Deiparæ refulsit vultus: en pauca è multis dispersionis Diabolicæ exempla.

1. Anno 1616. Ipso Natali die Sacratissimæ Virginis, prono iam in Vesperum die, cùm Imago ipsius sipario obduci claudique deberet, superuenit Margarita de Biersko, septennio iam & semestri à Dæmone possessa; qui ipsâ longi temporis præscriptione robustior, nullatenus deijci quanquam è malæ fidei possessione valuit. Circumducta antehac fuerat per loca cælestium gratiarum obtentu nobilitata; sed Dei nutu, maiorem venerationem Imagini Matris suæ intendere destinantis, effectum est; vt iniquus inuasor nullis Exorcismorum arietibus concuti posset, & aduersus omnes coniurationes contumax in occupatâ statione immobilis perstaret. Vix MARIANÆ Capellæ gressus intulit, oppressa ab infernali Tyranno Mulier, & obiecta visui Imago oculos eius incurrit; non tulit vltra Dæmon grauiorem inferno Inferni Dominam; & horribili edito ru-

Dæmoniaca ante Imaginem B M.V. deducta, solo eius aspectu à Dæmone liberatur.

to rugitu clamare cæpit: Exibo, Exibo, verùm patentibus ianuis vti Domini solent, sum enim de primoribus Orci spiritibus Nitká vocatus. Diriguêre qui aderant horrore tartareæ icti vocis; & interim per scamna Ecclesiæ ingens increpuit fragor, violenti spiritus index; salicesque circum Ecclesiam plantatæ, velut à valentissimo turbine impulsæ personuêre. Ita tunc attonitis cunctis, inueteratum diuturno temporis tractu Dæmoniũ, solus MARIANÆ Imaginis fulgor in fugam egit: In præsentiâ Generosorum Stanislai Iedlecki, ac Ioannis Szymánowski, tum Reuerẽdorum Felicis Duranij Præpositi, & Alberti Poneciani Ecclesiastæ, Borceñ, aliorumque plurium de populo ad nouitatem miraculi obstupescentium.

Mulier quæ se Dæmoni inscripserat, aditâ Imagine fit ab eius infestatione immunis.

2. Anno eodem. Regina de Regiâ Ciuitate Pyzdry, graui conflictata morbo, cuius postmodum illuuies in fauces regurgitans, totum os mulieris fœdis vlceribus oppleuit; cùm violentiâ doloris premeretur, ex desperatione remedij in furias acta, ad Dæmonis opem recurrit; & conscriptâ sanguine proprio syngraphâ, vitam illi suam oppignorauit, si modò incolumem ac dolorum immunem præstaret. Subijt mox facinoris pænitudo atrocitatem illius consideranti; & quàm insanâ cõmutatione æternos cruciatus mercata esset, dum leues & momentaneos tolerare refugit,

fugit, secum reputanti: castigato igitur per contriti cordis lacrymas errore, vtramque corporis & animæ salutem, quam malè infernali medico curandam subiecerat, voto ad Imaginem Zdźiesouiensem facto Deiparæ commendat. Nondum inuocatus Dæmon pacta Conuenta firmauerat; & Chirographum vnius tantùm partis subscriptione munitum, adhuc in incerto pendebat: sentiebat tamen mulier mali genij ad oblatam prædam hiantis assistentiam, experiebatur rabiem, continuis inquietata terroribus. Tantò ergò impensiùs precibus & suspirijs ad conciliandã MARIÆ gratiam institit, quantò se laqueis Diaboli, ac faucibus Erebi propiorem aduertit. Tandem vbi Zdźiesouiam delata, & ante Imaginem Virginis prostrata, periclitantis animæ curam in sinum illius deposuisset; propitiauit Clemens Mater Clementissimum Filium, *qui non vult perire animam, sed retractat cogitans, ne penitus pereat, qui abiectus est.* 2. Reg: 5. Redijt inde mulier gemino affecta beneficio; siquidem Deipara & à Dæmonis infestatione reddidit liberam, & pulsis doloribus, qui ad ineunda cum inferno fœdera impatientem pepulerant, totaliter præstitit sanam & incolumem.

3. Anno 1634. Mulier quædam de Villâ Niestorzowo prope Ciuitatem Regiam Szroda sitâ,

Dæmon rapit puerum temere imprecante matrē.

præcipiti iracundiâ excandeſcens, triennem filium modicum quid delinquentem, Dæmoni deuouit: Vtinam te Diabolus abripiat. Luit ſtatim intemperantiam pronæ ad euomendas diras linguæ, amiſsione Filij; nam *aduerſarius qui tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, lætus hâc opportunitate exſaturandi odij quo in homines fertur; permittente Deo, ſuſtulit ex oculis maledicæ matris puerum, tametſi innocuū; vt punita in filio parens, documento eſſet cæteris, quàm non leuibus pœnis inconſultam quiduis blaterantium leuitatem, exacerbatum Numen plectat. Tum verò vbi repentè diſparuiſſe natum ſenſit fœmina, planè extra ſe facta, præ ſubiti doloris vehementiâ, & tam noxiæ loquacitatis apprehenſione, in queſtus lamentaque ſolui; & non profuturo eiulatu aëra implere; ſenſim deinde deferueſcente dolore, qui ſedari lacrymis egeriique ſolet, poſtquam denſæ illæ quæ mentem opacauerant primi horroris attenuatæ ſunt nubes; infulſit oculis afflictæ Matris, proiectus à *Conſolatrice afflictorum Matre* radius; ſubiueruntque animum iam aliquatenus ſibi redditum, admiranda Deiparæ beneficia ad Imaginē Zdzieſouienſem ſupplicibus collata. Eorum itaque pars fieri peroptat; & ream ſe faſſa, pœnā immerentis pueri maternâ ex culpâ pereuntis deprecatur;

1. Petri 5.

Poſt votum ad imaginem nūcupatum eundem reſtituit,

tur; additâ sponsione sistendi eundem coram, si potestati Dæmonis ereptus sibi restitueretur. Audijt gemitus pœnitentis Benignissima Virgo, & Tartareum prædonem adegit, vt eodem loco quo abstulerat, illæsum indemnemque puerum reponeret: quo recepto exultans, adscitis in Comitatum prodigij gnaris, rectâ Zdźiešouium petijt; delictumque suum, & delicti pœnam pariter ac indulgentiã lachrymabundâ pietate edisseruit.

4. Non multò ante hæc tempora adducta est Zdźiešouiam Nobilis Catharina Rayska pluribus Dæmonijs infessa; quorum singuli diuersa sibi nomina sumpserant, & multitudine audentiores, omnia ab Exorcizantibus contorta tela impunè eludebant; depellique loco, admotis licet spiritualibus machinis, nequam spiritus non poterãt. Tenuit persistendi contumacia tam diu, donec MARIANA vis accederet; & oppugnatus per Leuitas Sacerdotesq; Hostis, diutiùs æquo marte certauit: Sed tum demùm succubuit, cùm ante imaginem eius prodijt, quæ *Terribilis* est velut *Castrorum acies ordinata*. Descenderat mulier in Templum Zdźiešouiense, tanquam in arenam, vltimam pugnæ cum pessimis inuasoribus iactura aleam. Cæperunt interim ad intẽtionem illius decantari Litaniæ B. M. V. Lauretanæ, congestis in laudem ipsius encomijs plenæ;

Ad cantum Litaniarum Lauretanarũ corã Imagine B. V. Dæmones ex Energumena fugiunt.

Cant: 6.

quarum ingrata resonantia, & simul visæ Imaginis terror, in tantùm perculit ferocem antea Dæmonum colluuiem; vt non expectato Litaniarum termino, magno cum fremitu, & miserabili eiulatu (à quo tota intremuit Ecclesia) profugerint, nunquam post desertam stationem repetere, aut Mulieri negotium facessere ausi.

Tempore iam calamo, & recensendis pluribus exemplis adeptæ mirabiliter in Ecclesiâ Zdźießouiensi à Dæmonum infestatione libertatis abstineo; quæ ipsâ asiduitate mirandi consuetudinem infregerunt. Pauca hæc ex fide Actorum eiusdem Ecclesiæ idcircò retuli; vt innotescat legentibus, solam Imaginis illius præsentiam Dæmonijs intolerabilem, nullis adhibitis Exorcismis, stygias phalanges dissipare. Asserunt Hebræorum doctissimi, Solymitanum Templum à Salomone ædificatum, tali decoratum fuisse Priuilegio, ut nunquam muscarum importunitate vexaretur: quamuis enim illic tanta victimarum cæderetur multitudo, vt vno Enceniorum die, dedicante Fabricam Salomone, viginti duo millia boum, & centum viginti millia arietum in sacrificium ceciderint; ac laborans sub pondere oblatarum Deo pinguedinum Altare æneum, ad erectionem alterius Regem necessariò compulerit; insecta nihilominùs ista carnei nidoris afflatu at-

Templum Salomonis Muscæ nunquam inuolare ausæ.

tu attrahi solita, penitus à Templo abfuêre; imò reuerentiâ quâdam, seu malis formidine cælitùs bestijs impressâ, à propiore circum circa volatu abstinuêre. Fidem Priuilegij huius Salomonis téplo indulti, ad auctores suos refero, nec tenaciter adstruo: suffecerit MARIANAM Zdźießouij Ecclesiam maiori hodie gaudere prærogatiuâ; & vmbram Veteris Testamenti transijsse hîc in veritatem. Nonne enim Archidæmonem illi ipsi, qui tam operoso cultu adorauerant Beelzebub, hoc est, Principem Muscarum appellârunt? quem titulum æterna Veritas & retinuit, & oraculo suo firmauit. Totus ergò spirituum nequam, Principi huic succenturiatorum exercitus, nihil aliud est nisi turpe muscarum examen, putore cadauerum pasci saginariq; suetum. Vnde meritò interdictus p[illegible]tidissimo huic infernali gregi ad Templum Cælorũ Dominæ, Téplo Salomonis longè augustius, propior accessus; quem si attentare, terminosque Deiparæ sacros transilire præsumpserint, perpetuâ ab hominum consortio proscriptione damnati, Tartareoque carceri properantiùs quàm cuperent mancipati, (siquidem per aëra, vt pote *Principes & Potestates aëris huius* liberè vagari poterant) supplicia violatæ Religionis dependunt. Venit hîc mihi ad conclusionem huiusce Capitis properanti symbolum

Dæmon vocatus est Beelzebub, id est Princeps Muscarũ, qui Templum B. V. Zdźieszouiense horret.

lum Paradini in mentem, apprime MARIANÆ potentiæ congruens: Pinxit ille Reginam florũ Rosam calice suo euolutam, repandis folijs amici solis lumina lacessentem; explicatâque natiuæ venustatis pompâ, pulchrum spectaculum exhibentem; quàm temerario ausu inuolare insidereque ausus Scarabæus, subitaneo collapsu exanimabatur; tanquam reposcente Naturâ pollutæ pulchritudinis pœnas; apposuit Lemma, *Turpibus exitium*. Dignissimum sanè Virgineæ Ecclesiæ Zdźießouiensis tholis affigi Hieroglyphicon: gaudet enim illa pudibundo rosarum vultu, quas ingenuus succendit rubor; quocirca & titulos à rosis petitos, ad sua vltro adsumit elogia, censeri volens *Quasi plantatio Rosæ in Iericho*. Accurrite in odorem Virginei huius floris, Virgines apes; totam in vnâ hac Rosâ reperietis Hyblam, & dulciores melle Attico exsugetis fauos: sordida tamen Scarabæorum colluuies, & quidquid copream olet, procul hinc, procul exeste; quia *Turpibus* apportat *Exitium*: Hausêre sæpius ab hoc vitali flore crabrones Hæretici lethen (prout memoratum superius) ex quo læti fideles, velut argumentosæ apes, vitam ac mella decerpũt: & scarabæi infernales à Templo MARIANO Zdźießouiensi toties in Orcum Acti præcipites docuerũt; à Deiparâ, quemadmodũ *Pijs beneficia*, sic *Turpibus* prouenire *Exitia*.

Scarabæus emoriēs in Rosâ, symbolum Dæmonis ad conspectum B. V. succumbentis.

Eccl: 24.

C A-

CAPVT X.

Series Cultûs Diuini in Ecclesiâ Zdżieszouiensi, & frequentia Sacerdotum obsequijs illius adscriptorum, populorumque ad venerandam Imaginem celeberrimi concursus describuntur.

PRouecturus è tenui sorte Estherem Deus ad Regios Assueri thalamos, dotaleque totius Orientis Imperium, præsagum futuræ felicitatis somnium Patruo eius patronoque immisit Mardochæo, quod ille post euentum referens ait: *Recordatus sum somnij, quod videram hæc eadem significantis, nec eorum quidquam irritum fuit: Paruus fons creuit in fluuium, & in lucem solemq; conuersus est, & in aquas plurimas redundauit.* Constat Estherem humilem, typum gessisse Deiparæ; quæ Humilitatis merito ad ipsũ Deitatis solium euecta, ex Ancilla Christi, Cœli Terræque Domina assurrexit. Proinde & somnium Estheris fortunæ prænuntium, vmbrati-

Ester 10.

Visio Mardochæi præfigurabat B. Virginem.

lia iecit MARIANI Principatus lineamenta; Cant: 4. Illa nimirùm, atteſtante Spiritu ſancto *Fons ſignatus eſt;* cuius Scaturigo ſoli Deo nota, & ſignaculo eius munita, in tantas gratiarum redundauit aquas, tamque pleno alueo per gentes & po- Ioannis 1. pulos decurrit, *vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi.* Verùm & Imaginis ſuæ Zdźieſ̈ouienſis primordia ac progreſſus, ad Mardochæani ſomnij aptauit veritatem: dum enim originem illius (vt ſupra attigi) vel antiquitatis incuriâ, vel dominantis Hæreſeos iniuriâ obliterari ſiuit, nonne velut in abditâ ſpecu fontem paruum concluſit? qui tamen poſt demerſam à ſuo ſtyge hæreſim, vbertim erupit, *creuitq; in fluuium, & in lucem ſolemq; conuerſus eſt.* Gemina hîc mihi occurrũt Imagini Zdźieſ̈ouienſi indulta Priuilegia, quorum vmbram in ſomniato illo Mardochæi fonte præceſsiſſe video: *Conuerſus* ille fuit primùm *in lucem, ſolemq;*, poſtmodum *in aquas plurimas redundauit.* Audiſti figuram, ſpecta veritatem; & circumfuſam non ſolùm myſticâ, ſed etiam viſibili Apoc: 12. luce, iterumque *Amictam Sole* in Imagine ſuâ admirare Deiparam. Adnotaui ſupra dum primordia Imaginis veſtigarem; adhuc incubante Oppido Borcenſi Hæreſi; quæ ſubductam publicæ venerationi Sacram Iconem ſitu, & ſqualore voluit obſoleſcere; viſum ſæpiùs Zdźieſ̈ouij Templum cæle-

Iconis Zdźieſ̈zouiẽſis principia obſcura creuêre in Lucem.

cælestibus collucens flammis, prout id plures oculati testes, videlicet R̄ndus Ambrosius Rychlicius Altarista, Famati Ioãnes Ramka, Vrbanus Vitriarius, Ciues Borcẽses, medio corporali Iuramẽto ad Imaginem Crucifixi præstito recognouerunt: nunc recentiùs accipe paris irradiationis exemplum. Anno 1657. quo excusso Sueticæ Tyrannidis iugo, Equestris Ordo, Auctore Illustrissimo Georgio Lubomirski, Marschalco Regni, amissam libertatem, Ecclesiæ verò Catholicæ, auxiliante procul dubio hâc Virgine, quæ titulum Reginæ Poloniæ non repudiat, recuperauerunt securitatem; non multò post depulsum hostem Triumphalibus lætus æther Debellatrici Hæreseon applausit ignibus; quas prouecta iam nocte fortuitò egressus Spectabilis Dominus Gruscyński Ciuis Posnaniensis circum Ecclesiam ardescere vidit, & insperato attonitus spectaculo, ad triclinium A. R. P. Ioannis Trzemiński præfatæ Ecclesiæ Præpositi (à quo hospes exceptus fuerat) tremens irruit. Asidebant adhuc nonnulli peregrinorum mensæ hospitalis Patris familias, Abrahamum obuiâ cuique humanitate æmulantis; ad quorum consessum reuersus, & præ stupore vocis impos, cùm diutiùs velut alienatus à sensibus hæsisset; prodigiosi luminis visionem tandem aperuit; sed iam interim illa disparue-

Circa Ecclesiã Zdziesʒowien. sæpè visi splẽdores.

Post expulsos Suecos resplẽduit cælesti luce.

rat, & egreſsi ad ſpectaculum qui aderant, amœno cæleſtis ſplendoris intuitu frui non poterant.

Plenius & plures MARIANÆ lucis libauêre oculis delicias Anno 1666. cùm ſæua Erymnis inter ſtatus Reipubl: pomum Eridos iecerat, & Regem ac ſubditos internis diſsidijs colliſos, ad arma exciuerat; atque tunc circa oppidum Pełczyno in Maiori Poloniâ, vterque exercitus oppoſitis caſtris, ciuilis belli ardore flagrabat; nam in peruigilio Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ, concubiâ itidem nocte, Famatus Albertus Krużewski Ciuis Borcenſis, cum vniuersâ familiâ domeſticâ, vidit circumfuſum æthereis ignibus templum; in quorum medio, auguſtiore formâ fulgurabat Deipara, tali plane ſpecie ac oris habitu; atque Imago Zdźieżouienſis repreſentat. Pone Deiparam viſebantur binæ cataphractorum effigies, ſtrictis frameis in ferocem pugnam commiſſæ, ac mutuis ictibus digladiantes; contra quas poſtquam regale ſceptrum Beata Virgo tetendiſſet, dirempto crudeli duello, pacem compoſuit, & armata illa ſpectra, ex aëre fugauit. Hac ipsâ nocte Ciues Dobrzycenſes, & alij Mercatores, Goſtinum ad nundinas tendentes, cùm non procul ab Eccleſiâ Zdźieżouieñ iter inſtituerent, ad eiuſdem ſpectaculi cõſortium diuinitùs admiſsi, totum Oppidum relatione

Sub tempus Ciuilis belli apparens B.V. duorum Cataphractorũ pugnam diremit.

tione & famâ ſtupendæ apparitionis impleuerũt; eamque deinde præfatus Krußewski, ac omnes ſui Domeſtici, ad Acta Ciuilia Borcenſia comparentes iuramento firmârunt. Probabile eſt *Conſolatricem Afflictorum* miſeratam ſeu quaſſatæ Innocentiæ, ſeu pauperum, inſolentiâ Militari, preſſorum, hoc oſtento ſequutæ non multo poſt paci præbuiſſe; quam ſuis apud Deum precibus (vti piè creditur) verè Pacifica *Sulamitis* conciliauit, *Facta eorum eo* (vt verbis Salomonis vtar) *quaſi pacem reperiens*. Certè Illuſtriſsimus Dominus Georgius Lubomirski, Supremus Regni Marſchalcus, Domeſtici Martis incommoda penſans, & armorum quæ inuitus tuendæ innocentiæ cauſâ ſumpſerat pertæſus; paulò ante ſupplex Eccleſiam Zdźießouienſem adierat; ibidemque ante Imaginem Deiparæ, toto corpore prouolutus, vt Mediatricis officio fungi inter partes dignaretur, quæ Deum inter & Hominem mediando, æterna fœdera panxit, cùm lacrymis obſecrabat. Haud multò abſimilis viſio iterum Anno 1678. pridie feſti Beatæ Mariæ Virginis ad Niues ſpectantibus plurimis reproducta eſt: nam poſt primum ſtatim crepuſculum, dubiâ adhuc luce, reſplenduit circa Eccleſiam æther feſtis ignibus; ac in eorum medio apparuit Ectypum Imagini Zdźießouienſi ſimillimum; quod præter

Cant: 8.

Imago B.M.V. apparet in aere luce circumdatâ.

nocturnos oppidi Vigiles, plures alij oculati spectatores, vt potè Famati Matthias Kaliski, Matthias Gzegzoł, Ioannes Myćiel Ciues Borcenses asseueranter comprobârunt, & adiectâ sacramenti fide consignârunt.

Accedo ad alteram Fontis *Mardochæo* diuinitùs ostensi dotem, quia scilicet exiguo profusus latice *creuit in fluuium, & in aquas plurimas redundauit*. Ecquod pulchriùs symbolum depingendis, Imaginis Zdźiebouiensis incrementis fingi cogitarique potuit? nam & hæc modicis profecta exordijs, tantâ hodie Gratiarum affluentiâ in immensum restagnat & excurrit; vt intra vnius *Sarmatiæ* ripas arctari impatiens, fluenta Beneficiorum per *Alemaniam*, *Morauiam*, *Silesiam*, *Pomeraniam*, *Prussiam*, conterminasque regiones fortunatâ sanè eluuie diffundat. Placet ad caput ipsum limpidissimi huius Fontis redire, quod more magnorum Fluminum non iam natura sed vetustatis obliuio occuluit; vt meritò Imagini Zdźiebouiensi quadret illud Lucani de Nili profluuio carmen

Nili fluminis origini comparatur origo sacræ Iconis hactenus, quemadmodum Fôtes Nili incognita.

Arcanum natura caput non prodidit vlli,
Nec licuit populis paruum te Nile videre,
Amauitq; sinus, & gentes maluit ortu
Mirari quam nosse tuos.

Certè miratur Orbis Polonus Maiestatem Imaginis,

nis, cuius ortus non assequitur; & ipsâ principij ignorantiâ, maiorem ex abdito venerationem intendente, adorat pronus Sacratissimã Virginem, quæ ectypum suum non aliter voluit nisi per Beneficia notescere. Recurrit hîc iterùm Reuerẽdus olim Felix Duranius; cuius merita ac exantlatos in propagando cultu Deiparæ labores, licet alibi strictim attigerim, hîc tamen luculentiùs celebrandi veniunt, vbi incrementa Ecclesiæ Zdźiebouiensis prosequor; cuius felix progressus maxima ex parte Felici debetur. Non errabo si in gloriam Pijssimi Sacerdotis transferam Encomium Simoni Oniæ filio Pontifici à Siracide conscriptum; æquum siquidem est vt gaudeat participatione laudum, qui Simonis magnificentiam æquare conatus est, æmulâ sacrorum structurâ operum; verè *Sacerdos magnus qui in vitâ suâ suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit Templum, Templi etiam altitudo ab ipso fundata est.* Ecclef: 50.
Inciderat in ea tempora Concionatorio in Ecclesiâ Borcensi fungens munere, cùm vindicatâ de manibus Hæreticorum totos triginta annos Ecclesijs Catholicis insultantium Oppidi illius Hæreditate, à Catholico Possessore, recens adhuc profanati Zdźiebouiensis Templi squalor, triste abrogati MARIANI cultus conticinium, vasta augustissimi illius loci solitudo, ac denique nutantia

tantia sub annorum pondere, ac hominum neglectu Virgineæ Ecclesiæ ædificia, ante oculos versabantur. Motus ergo indignitate facinoris, ac Hæreticæ abominatione desolationis, ad restituendum templi nitorem totus euisceratur; & languentem longâ desuetudine, populorũ erga Deiparam affectum, qui doloso Lutheranæ prauitatis suppressus cinere multùm intepuerat, admotis zelosarum concionum flabris exsuscitare aggreditur. Excussêre lethargum sacerdotali insonante tubâ, prouocati ad instaurandam Deiparæ venerationem Fideles; nec solùm Borcensis Paræciæ incolas sed circumiectos etiam populos, entheus quidam ardor decorandæ Imaginis MARIANÆ corripuit; præsertim *Domino cooperante & sermonem igniti* Sacerdotis *confirmante sequentibus signis:* ab illo enim tempore interceptus aliquantùm permissu Diuino, ab opaco liuidæ Hæreseos nubilo MARIANÆ gloriæ fulgor, tam luculẽtis corruscare cæpit signis ac prodigijs; vt appareret, idcirco Beatissimam Virginem Potentiæ suæ radios ad tempus subtrahere voluisse, quatenus pulcherrimâ antiperistasi ab aduersariæ Hæreseos opposito intensi, clariùs postea emicarent. Quocirca erectis omnium feruentibusque ad intermissa Deiparæ obsequia animis, & concessâ diuinitùs substantiâ, honorare Di-

Concurrunt populi ad venerationem ipsius.

Marci 16.

re *Diuinitatis Thesaurariam* (sic à deuoto nominatur Idiota) certatim contendentibus, assurrexit breui noua ex oblationibus Fidelium Deiparæ Ædes; multò decentiùs quàm ante structa, opere quidem lignario, verùm concinnè ad dolatorium exacto & leuigato; cui venustandæ adiectæ ad latera ternæ turres, & quarta in medio templi ad instar copulæ, conspicuâ specie eminebant. Crescente deinde non modò vernarũ, sed exterorum quoque famâ Miraculosæ Imaginis excitorum concursu, cùm memoratus Reuerendus Felix cerneret Ecclesiam ligneam confluentium multitudini capiendæ ægrè sufficere; ad construendam augustiorem Basilicam animum intendit; quæ solidioris materiæ aduincta compage, duraturam ad consequentes ætates (non sine decorâ cognominis DVRANII expresione) molem transmitteret. Fauit pijs Clientis sui moliminibus, hæc ipsa in cuius honorem Clientelaris Pietas æstuabat Beatissima Virgo; nam modicæ sortis & satis accisorum prouentuum Sacerdos, de solo Dei ac eius Sacratissimæ Matris cõfisus auxilio, tantùm præualuit; vt capacissimam ex coctili latere Ecclesiam, mediotenus in summum vsque culmen proueheret, ac minorem (vt aiunt) chorum integrè consummaret; primorem verò eiusdem Ecclesiæ faciem quæ nauis dicitur

Construitur noua Ecclesia, pro decore Imaginis.

Successiué alia augustior ex cocto latere inchoatur.

iactis solide fundamentis ad vlnas aliquot supra terram extolleret. Reliquæ fabricæ continuandæ desiderium, & apparatum mors abrupit, ac in successoris curam transtulit; cùm idem Reuerendus Felix antequam fata superuenissent, de interno etiam MARIANÆ Ecclesiæ decore solicitus, pretiosâ supellectile, Calicibus, Crucibus, Candelabris argenteis, paramentisque phrygio opere variegatis, & altaribus affabrè factis eandem exornâsset. Creditum est vulgo & talis à morte illius increbuerat rumor; Deiparam speciali memorati Clientis sui delectatam affectu, vt desiderijs eius in ornamenta Domûs Imaginisq; suæ totaliter effusis, obuiâ Munificentiâ responderet, inopiam eius sæpiùs submissâ præter spem pecuniâ, & miraculosis largitionibus subleuâsse. Et verò fidem MARIANI huius fauoris facit, operum à dicto Reuerendo Felice perfectorũ Magnitudo, cùm angustis illius rebus, exiliqúe redituum portione collata; quæ subducto calculo, næ primis quidem tantorum Moliminum conatibus, pares sumptus exhibere poterat. Quis enim liberalem Deiparæ manum adfuisse Zelotæ huic suo diffiteatur? si præter gemina condita ab ipso Templa, (quorum prius ligneum cùm ædificaretur, submissos Diuinitùs fuisse cooperatores binos equos superius adnotaui) ad alia eius-

Fama de R. Felice sparsa quasi illi B. V. pecuniam suppeditauit.

dem

dem magnifica facinora, vires facultatesque eius transcendentia animum aduertat; vt planè in ipso impletum videatur D. Pauli oraculum, quia *Magnus quæstus est Pietas cum sufficientiâ.* Fundauit primùm (ne in solis parietibus piâ eius hæsisse videatur solicitudo) septem Presbyteros, qui vulgò Mansionarij nuncupantur, competenti cuique assignatâ dote; vt vice septem Spirituum, qui Ioanne S. teste *in conspectu Dominici Throni sunt* resonandis Deiparæ laudibus iugiter intenderēt; & Officium eiusdem singulis diebus reuerenter decantarent. Collectis deinde tractu temporis maioribus summis, Ministros insuper Ecclesiæ, Organarium nempe, Cantorem, ac Æditūum cēsu perpetuo annuâque pensione prouidit, ac Collegio dictorum Mansionariorum incorporauit; adeoque satagente Pijssimi Sacerdotis Prouidentiâ, impletum est in Ecclesia Zdźiessouiensi Isaiæ vaticinium, *Occupabit salus muros tuos & Portas tuas laudatio.* Neque hîc stitit exæstuans in corde deuotissimi MARIANOPHILI, prouehendi eiusdem honoris cupido; ignis instar *qui nunquam dicit sufficit* noua continuò quæsiuit pabula, per quæ Empyream purissimi erga Deiparam amoris spargeret flammam: cui alendo opportunissimum subditurā ratus fomitem Sacratissimi Rosarij Confraternitatem, ad eam inducendam animum adiecit,

1. Thim: 6.

Fūdat septem Mansionarios

Apoc: 1.

Isaiæ 60.

Prou: 30.

Introducit Confraternitatem Rosarij.

iecit, ac Vexillum, Cappas, Crucem fratribus præferri solitam, sumptu proprio cõparauit. Quia verò (quemadmodum sapienter ratiocinatur Arnoldus Carnotensis) *Vna est Mariæ & Christi caro, vnus Spiritus, vnitas enim diuisionem non recipit, nec secatur in partes; & licet ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltra scindi non potest, & Filij gloriam non tam communem iudico quam eandem:* idcircò vt conformi ad hunc naturalem, imò Theandricum nexum ordine, simultanea Matris ac Filij vigeret veneratio, alternisque IESV ac MARIÆ Nominibus repercussa nouæ Basilicæ atria personarent; Sacratissimo Rosario Confraternitatem Sanctissimi Nominis IESV sociauit. Tandem ne deessent qui *Regi Regum & Domino Dominantium,* Reginæque illi *per quam Reges regnant & Principes iusta decernunt,* assisterent: ad æmulationem cæli, vbi *Omnes Angeli stant in circuitu Throni,* & ipse pulcherrimo Angelorum satellitio IESV & MARIÆ Maiestatem circumdedit; quando ad obsequia vtriusque, Tertiam Confraternitatem Sanctorum Angelorum Custodum, de licentiâ Admodum Reuerendi Patris Fratris Petri Nigritij Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, per vtramque Poloniam ac Silesiam Prouincialis adiunxit; vt per suffragia illorum, qui *Omnes sunt administratorij Spiritus in mini-*

Arnol: Tract: de Laudibus Virginis.

Et alteram SS. Nominis IESV.

Apoc: 19.

Prou: 8.

Apoc: 7.

Et tertiam Angelorum Custodum.

Ad Hebr: 1.

ministerium missi eorum qui hæreditatem capiunt salutis, plures famulos seruitijs Dei Filij, eiusque intemeratæ Matris manciparet.

Accendit Pia æmulatio Reuerendum Patrem Paulum Treterum, qui cupiens *Honorare Dominum de sua substantia* & sciens quod *cum simplicibus sermocinatio eius*, Quartam Confraternitatem in honorem *Sancti Isidori Agricolæ* erectam, in quam cooptarentur paris conditionis homines agris exercendis addicti, instituit; eamque probante Illustrissimo olim Andreâ Szoldrski Episcopo Posnaniensi, applaudente verò incrementis Pietatis, Reuerendo Felice, solenniter in Ecclesiam Zdźießouiensem paulò ante felicem eiusdem obitum introduxit; & non modò Altare memorato Diuo sacrum, sumptu proprio erexit; verùm etiam (comparatis ad dictam Confraternitatem omnibus necessarijs) calicem, Cassulas diuersorum colorum, & omnia ad sacrificium Missæ necessaria ornamenta coemit: Domum pro residentia Capellani construxit; summam deniq; duorum millium florenorum in vim reemptionis locauit, à quâ Census annuus Altaristæ & Promotori Confraternitatis proueniret. Vir placidâ morum temperie conspicuus, & Principum etiam virorum amoribus, non minus propter senij quàm innati candoris reuerentiam insertus.

Prou: 4.

Prou: 3.

Quartam S. Isidori introduxit R. P. Paulus Treterus.

Verùm ad Reuerendũ Felicem regredior, in cuius virtutes iniurius essem, si eas segni silentio obnubilarem: *in omnibus siquidem* (iuxta monitum Apostoli) *præbuit se ipsum exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in grauitate*: & quod ore docuit, opere signauit. Orationi adeò deditus, vt totos dies cum Deo transigeret, præterquam si quando necessitas proximi auocaret; nam tunc ad impendenda egenti obsequia properus, atq; eò Numini gratior, de dilectione hominũ ad dilectionẽ Dei cum fænore trãsibat; egregiè doctus Marthã sociare Mariæ, Actiuã vitã cõtemplatiuæ, labores causâ proximi susceptos & beata Deuotæ Pietatis otia. In conuertendis peccatoribus, verè nomini suò consonus, & efficaciter Felix, multos è cæno vitiorum erutos, virtuti ac honestati auctorauit; dum quod suadebat faciendum verbo, factibile monstraret exemplo, *Forma factus gregis ex animo*: cumque primus à fugatâ ex Oppido Borcensi Hæresi, corrupti fide ac vitâ populi, Pastoralem curam suscepisset, tantâ dexteritate reformationi institit; vt in nouam regenerati Creaturam Incolæ, non modò perfidiam Hæreticam, sed mores simul perditos exuerint; adeoque breui efflorescente religione ac Pietate, aliam se ipsa Ciuitas cum admiratione circumspexerit. Præcipuè intaminata Catholicæ fi-

Ad Tit: 2.

Insignes R. Felicis virtutes.

1 Petri 2.

Zelus Conuersionis animarum.

cæ fidei puritas plantante Felice, incrementum verò dante Deo, tam firmas illîc egit radices, vt neminem Romanæ Ecclesiæ dissentaneum, populares in gremio sui patiantur. Charitate erga pauperes feruens, bona propria illorum vsibus voluit esse communia; nescius quidquam petenti denegare inopi, quem sic inopis afficiebat miseria, vt magis alienis vreretur malis quàm suis. Illo subueniẽte non esurijt famelicus; non alsit nudus, inclementiam cæli & aspera viarum oblitus est Peregrinus. Sed præcipuè ecclesiarum amore efferbuit, quarum commodis totum deuouit, quidquid sui immemor, commoditati propriæ detraxit; vt meritò gloriari potuerit cum Psalte, *Domine dilexi decorem Domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Misericordia in egenos. Psal: 25.

Ostentat Liberalitatis eius monumenta in hodiernum diem, inprimis Ecclesia Parochialis Borcensis; quæ rapaces Hæreticorum harpyarum diutiùs perpessa vngues, & bonis spoliata omnibus, satagente Reuerendi Felicis primi ab Hæresi profligatâ Curati prouidentiâ, splendidiori longè quàm antea cultu refulsit. Nitent nunc in eâ gemina Altaria, maius videlicet & S. Annæ, ductilibus auri foliati bracteis conuestita, sumptibus Reuerendi Felicis magnificè structa: concrepant Diuinas laudes, suaui modulamine organa; tinni- Liberalitas in ornãda Ecclesia Parochiali.

tinniunt graui sonitu trinæ iustæ magnitudinis campanæ; argentei calices, Cruces, Thuribula, lampades, & magni ponderis gestatorium Ferculum, Diuinissimæ Eucharistiæ dicatum, oculos intuentium euerberant. Addidit externo decori, augustiorem Diuini cultûs adaucti Maiestatem, dum duas Confraternitates Literatorum sub titulo Deiparæ in cælos assumptæ, & S. Annæ in hac ipsâ Ecclesiâ plantauit, & dotalitio assignato censu stabiliuit: atque vt esset qui languentes, seu mundanis occupationibus resolutos, in æternorum desiderium attolleret, torpentemque deuotionem; igniti eloquij flamine suscitaret, Ecclesiastem perpetuũ, prouiso annuo reditu ibidẽ fundauit. Quid alia eius memorem opera? quæ nisi actu perfecta cernerentur, perfici à paupere Sacerdote potuisse, stupefacta humani discursus illatio pernegaret: Ille Ecclesiam Xenodochialem S. Spiritus in suburbio Posnaniensi, ligneam quidem sed affabre, cum imminenti turri structam; Ille Capellam S. Mariæ Magdalenæ in viâ Cosminum tendente, è cocto latere ædificare præualuit; à Templorum Præside & incolâ Deo precibus mutuare, per arcana supplementa suetus, quod in Templorum ornamenta conferret.

Confraternitates in eadem erigit

Ecclesiam Xenodochialem ædificat.

Capellam Mariæ Magdalenæ erigit.

Tanta viri merita, & ingeniosam æquè ac operosam in dilatando honore suo Pietatem, tempora-

porali etiam Deus muneratus eſt mercede, ac ſingulari tutatus protectione: nam ſæpius Dæmonum furoribus infeſtato (in quos tamen mirum exercere ſolebat imperium) ac in maxima pericula coniecto, præſtò Angelica (vt piè creditur) fuêre præſidia. Vnde cùm interdum ab infeſtis humani generis ſuiſque hoſtibus, per ardua & abrupta Diuino permiſſu circumferretur, & aliquando in ſummum templi Parochialis apicem elatus fuiſſet; innoxio ſemper deſcēſu, verius quam lapſu præcipitia euaſit: ſuccollantibus proculdubio Angelis, quibus Deus mandauit, vt fidelem ſuum famulum *in manibus tollerent, ne forte ad lapidem offenderet pedem ſuum.* Psal: 90. Accidit & illud inſigne Protectionis Diuinæ circa Reuerendum Felicem documentum, quod promiſcuo Oppidanorum Borcenſium memoratur ore: Decumbebat accisis per ætatem & aſsiduas cum energumenis luctas viribus, poſt modicam cœnam valetudinarius ſenex; ne tamen quieſcente corpore torperet animus, ſed magis conticinia noctis, Diuinarum modulamine laudum rumperet; accenſo tortili cereo, ac ſuper pauperem tegetem poſito, ſolitum horarum Canonicarum penſum (quod nunquam maximis licet implicitus laboribus intermittebat) perſoluere cæperat; cùm ecce obrepens ſomnus ſenſum infirmo ac debili

Stratum dormientis flamma correptum ſed miraculosè illæſum.

eripuit; correptis pariter somno duobus ephebis, qui dicti Reuerendi Felicis impensis enutriti, ac in arte symphoniacâ erudiri iussi, eidem ab obsequijs fuerant; dormienteq; seniculo peruigilem noctem alternare debuerant. Interim absumpto ellychnio tabescens igne cera, proxima puluinaria & ipsum stratum corripuit; sed cùm vires sumere reperto pabulo flamma debuisset, non sine euidenti prodigio, compressâ naturali edacitate, in ipsis suis fomitibus & alimentis suffocata est. Quod postquam excitus somno cognouit senecio, nouitate prodigij attonitus, & popularis famæ vanitatem subterfugiens, seuero interdicto iuuenilem dicaciam compescuit; ne innoxij incendij lusus magis quàm æstus, durante vitâ suâ cuiquã propalarent; illo tamen vitâ functo portentosum euentum vterque (alteri Gaspar Boredzki, alteri Bartholomæus Zdziesbynski nomen erat) cuius spectatores fuerant, sub iuramento euulgârũt. Verùm quid mirũm coërcitum reuerentiâ emeriti sacerdotis ignem, læsione abstinuisse? siquidem alienas etiam depascẽti ædes frenum aliquando iniecit; cùm enim domum cuiusdam Ciuis Borcensis Goniwiecha dicti ignis corripuisset, & crescente incendio elati in sublime flammarum globi, cõmunem toti oppido rogum minarentur; mox vt Reuerendus Felix ad-

Solo Crucis signo extinguit incendium.

lix adfuit, & signum S. Crucis protensâ in aëre manu, formatum furenti igni obiecit, sinuosa illa flammarum volumina subsidere cæperunt; ac sensim dehiscentia, in fauillas tandem ac cineres, vicinis intactis vanuerunt.

Floruit insuper curationum gratiâ Diuinitùs concessâ R̃ndus Felix; nam præter plurimos Energumenos, à Dæmonum vexatione liberatos, nonnulli periculosè infirmi, ac in confinio mortis positi, resumptæ præter omnẽ spem vitæ beneficium, illius precib⁹ acceptũ retulêre. Non minor in dissoluẽdis maleficijs R̃ndi Felicis enituit potestas; quæ cùm tractu illo ob frequentiam sagarum, in varias hominum pecudumque noxas crebrò erũpant, interuentu ac exorcismis Reuerendi Felicis noxiam vim semper amisêre; singulare istud esto efficacis contra harum Eumenidum, Erebi filiarum machinamenta remedij, per R̃ndum Felicem præstiti documentum; infecerant carminibus incantationibusque suis veneficæ Braxatorium quoddã, adeò vt fruges coquẽdæ cereuisiæ aptatæ, sed virulentâ putredine per artem magicã afflatæ in vermes degenerarẽt: vocatus ad ferẽdã opem R̃ndus Felix, postquã preces ad Deum fudit, mox corruptis frugibus & succus, & vigor, & integritas, nullo prioris tabis indicio redijt.

Periculose ægrotantes sanat.

Veneficia maleficarum pellit.

Tandem post continuos quadraginta an-

norum in regimine Ecclesiarũ Borcensis & Zdzieŝouiensis exantlatos labores, indefessus honoris Dei ac Deiparæ assertor & vindex, cum magnam sanctitatis opinionem, apud omnes reliquisset, senio & labore confectus, placidissimè vitæ mortalis cursum cõsummauit, vt ordiretur æternæ, die secundâ Ianuarij Anno 1642. Placuit Diuinæ bonitati, translationem fidelis famuli sui ex hac lacrymarũ valle, festiuis cohonestare tripudijs: nam eâ ipsâ horâ, quâ Reuerendus Felix mortalitatem expleuit, duo Presbyteri Ioannes Zytecius, & Andreas Mansionarij Zdzieŝouienses, intra septa eiusdem Ecclesiæ diuersas domos inhabitantes, de obitu Præpositi sui prorsus ignari, supra Capellam B. M. V. dulcissimum Angelorum concentũ resonãtem audiuerũt; & simul capellã ipsam insolito lumine corûscare stupuerũt; collatis deinde mortis ac cælestis melodiæ tẽporibus, coincidisse vtraq; ex arcanâ Diuini dispensatione consilij deprehenderũt, ac postea interpositâ iurisiurandi religione firmârũt: eiusdẽ visionis particeps fieri & supernæ symphoniæ dulcedine pasci, hâc ipsâ horâ meruit Rñdus Nicola⁹ Zerkouius, qui defuncto à Confessionibus fuerat; tametsi ab Ecclesiâ Zdzieŝouiensi longè dissitus, & circa Parochialem Borcensem tunc residens; quod fide iuratâ post mortem recognouit, idque publicè pro rostris

Moritur,

Illo momento Angelorũ cantus in àëre auditus.

ſtris dum promiſcuo planctu parentaretur optimo Parenti, orphanum ſolando populũ, inſignis per id temporis famâ & facundiâ Eccleſiaſtes, Actualis pro tunc Poſnaniæ Sacræ Theologiæ Profeſſor, Reuerendus Albertus Darowski Societ: IESV ediſſeruit; addiditq; inter cætera indultarum cælitùs Reuerendo Felici gratiarum argumenta, ſingulare illud obtigiſſe, quod proximè ante mortem Deipara ægrotantem inuiſerit; & luctantis cùm vltimo agone Clientis ſui æſtus, iucundiſſimo ſpectaculo, ſed multò iucundiore refouerit promiſſo; affuturam ſeſe nimirùm pollicita exeũti de luteo ergaſtulo animæ, illamque ante Filij conſpectum ſecurè ſtituram; quam aparitionem ex ore dicti Zerkouij Confeſſarij ſub conſcientiâ recognoſcentis excerptam, memoratus Reuerendus Darowski pro Concione publicauit. Nec verò primus iſte circa vitæ ſuprema fuit MARIANÆ dignationis Cliẽti ſuo exhibitus fructꝰ; etiam ante paribus benignè viſitantis Deiparæ delib:tus eſt ſolatijs; quandoquidem ſicuti præfato Confeſſario ſuo, certâ occaſione adactus, rorãtibꝰ cum lacrymis aperuit, hoſpitẽ aliquãdo Cæli Reginam Angelorũ ſtipatã choris, Domi ſuæ cum ingẽti gaudio excepit; atq; id ipſum circa ſuprema funeris officia Eccleſiaſtes palam promulgauit.

Ante mortem apparet illi B. M. V.

Etiam in vita apparitionibꝰ Deiparæ dignatus eſt.

Hæc tamen omnia quæ tam de apparitionibus

nibus Deiparæ, quam de alijs circa Reuerendum Felicem gestis, communem Naturæ modum supergresſis retuli, fide tantùm humanâ asseuero; & inhærendo Decreto Sanctiſsimi olim Vrbani Octaui Papæ, in Sacrosancto Vniuersalis Inquisitionis Tribunali Anno 1625. lato, nullam publicam Auctoritatem scriptis meis de præfato Reuerendo Felice (imò & mox infra de alijs quoque virtute præcellentibus viris scribendis) conciliare me velle profiteor. In tumulo eius sequens Inscriptio Parentali lapidi incisa ita loquitur:

Venerabilis in Christo Pater Felix à Szrem Duranius, Plebanus Borcensis, Præpositus Zdzieszouiensis, Obijt 2da Ianuarij Anno Domini 1642. hoc tumulatus Sepulchro requiescit. Orate Filii pro Fundatore, & attendite vobis, & Ecclesiæ Dei.

Succesſit Mortuo Felici, Adamus Budziecki haud impar Athlanti illi suffectus Alcides, in quem pondus MARIANI Olympi inclinaret. Pluribus iam ante experimentis sublimis ingenij vim, ac virtutem testatam fecerat, cùm absoluto Theologico cursu in Collegio Posnanień Societ: IESV, concionatorio primùm, mox Pastorali munere in Op-

in Oppido Iarocin functus, commissum sibi populum optimis moribus ac institutis, Ecclesiam verò antea squalore vetustatis horrentem, duabus muratis capellis & cultiore apparatu instruxisset: vt verò melius formare posset mores viuentium, secutus ipse oraculum Apollinis, cum mortuis habitare prælegit; adeò peruigil continuæ sacrorum librorum lectioni impallescens, & pænè immoriẽs, vt vix quatuor vel quinque horas necessariæ quieti somnoque concederet. Quin etiam medullam reconditioris in arbitrandis moribus actibusque humanis scientiæ, ex varijs haustam Magistris, ingenti labore in vnum Volumen congessit ac compilauit; Dignum vtiq; prælo & Luce Opus, nisi ille vmbratilis gloriæ negligens, in vmbrâ illud latere maluisset, scire quàm sciri auidior. Emersit tamen ad famam ipso famæ contemptu; & summi Nominis viris ex promiscuis primùm præconijs, mox ex vsu probatus, dignus visus est, qui primarijs dignitatibus Ecclesiasticis, & ipso Cathedralis Posnaniensis Ecclesiæ Canonicatu, offerente vltrò Illustrissimo Andrea Szołdrski ornaretur. Sed hominem meritorum consciẽtiâ subnixum, ast inanes ambitus pulchriore modestiæ ambitu circumscribentem, oblatorum pompa honorum non abripuit; quibus submissè recusatis, ægrè tandem exoratus ab Illustrissi-

Secundus Præpositus Zdzieszouien: Reuerendus Adamus Budzicki.

strissimâ Dominâ Annâ de Bnin Przyiemska, Illustrissimi olim Stanislai Przyiemski, Marschalci Curiæ Regni Consorte, Ecclesiarum in Zdzieß & Borek Patronâ & Collatrice, amoreque & sanctitate Loci celeberrimi allectus, Præposituram suscepit: & statim ad complenda Reuerendi Felicis destinata ac cepta progressus, Chorum Ecclesiæ maiorem (cuius fundamenta Rñdus Felix iecerat) consumauit: Capellam Sponso Deiparæ Iosepho sacram erexit: tres campanas iustæ magnitudinis conflari curauit; Lampades, Calices, Pixidem asseruando Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento seruituram, & duo paria candelabrorum ex solido argento fusa, proprio peculio comparauit. Auctus etiam per ipsum Sacræ Imaginis honor; nam primo statim regiminis sui anno, totam circumferentiam Sacræ Imaginis conuestiuit, ac interiectis argenteis floribus auro illitis, varioq; pretiosorum lapidum splendore coruscantibus, venustatæ Iconi augustiorem venerationem intendit.

Ecclesiam perficit.

Verùm præcipua alendæ propagandæque Deuotionis Reuerendo Adamo cura; cuius incrementa vt prouentu vberiore succrescerent, numerum Sacerdotum fouendæ Pietati idoneorum, ante omnia augendum ratus, captato Benefactorum fauore; septem Capellanos in Sacello S. Iosephi in-

sephi instituit; qui præter obligationes Missarũ ex præscripto Fundatorum absoluendarum, Prædicationi Verbi Dei, ac excipiendis confluentis populi Confessionibus intenderent: Ex his quinque suasu & impulsu Rñdi Adami, Generosus Dominus Albertus Myćielski cum suâ Coniuge Catharinâ Przedźinska, Sextum Generosa Dña Heduigis Konarska, vltimum Generosus Dñus Przybysławski addidêre: Quorum maiori commoditati prospectum cupiens Generosus Dñus Stephanus Kaczkowski, Tria millia florenorum Polonicalium in augmentum Dotis, annuique prouentus donauit ac inscripsit. Aderat his omnibus præuius sanctæ profusionis ac prædux Reuerendus Adamus, & gnarus melius suaderi factis, quàm dictis, omne peculium quod ex fructibus Beneficiorum collegerat, diuenditis insuper cultioribus vestimentis ac vtensilibus, in vsus dictorum Capellanorum impendit; in quorum sustentationem Prædium Strzyżewko nuncupatum coemit. Ad mansiones deinde, residentiæ Cleri (quem aggregauerat) accõmodas animum sumptumque applicuit, & primùm ædes Præpositi de nouo erexit; binas deinde domos Ecclesiæ vicinas, sed personis sæcularibus hactenus habitatas, refuso Dominis illatum pretio, in vsus Sacerdotum transcripsit: potissima tamen, & magis polito opere spectabi-

Pœnitentiarios septem fundat.

Prædiũ Strzyżewko pro illis emit.

ctabilis, curâ & impensis eius assurrexit Domus pro Capellanis S. Iosephi, quorum vigilantia, ac in euoluẽdis libris assiduitas, sacerque lucrandis animabus apparatus, amæniores secessus, & aptam speculationi solitudinem postulabant. Certauêre post hæc honestissimâ contentione, diuersorum Presbyterorum studia, in dilatandis Ecclesiæ Zdźiebouiensis pomerijs: vnde & iam cum laude memoratus Rñdus Paulus Treterus, elegans ædificium sumptu proprio structum, perenni residentiæ Patris Capellani S. Isidori dicauit; & simili dilatandi MARIANI honoris ardescens zelo, Reuerendus Thomas Costenouius, satis amplum Patrimonij distracti pretium, in fabricam alterius domus erogauit: sequutus horum exempla, Reuerendus Ioãnes Brandwicz Parochus Borzęcinẽsis, insignẽ curiam tribus cultioris structuræ mansionibus constantem, in areâ amplissimæ capacitatis construxit. Quin imò adeò successiue crescente religiosâ MARIANOPHILORVM Liberalitate, Tecta Sacerdotalia increuêre; vt ab ipsâ oppidi Borcensis portâ, ad vsque Ecclesiam Zdźiebouiensem, totam ab vtroque latere plateam frequentibus fastigijs occupauerint.

Illius instinctu Sacerdotibus plures domos, circa Ecclesiam conferuntur.

Non solùm autem Domuum, sed Cleri quoque ipsius numerosior cum tempore facta est

accesio

accessio; postquam & Sacellanus Imaginis Miraculosæ, à Perillustri & Reuerendissimo Branecki, Suffraganeo & Archidiacono Posnaniēsi erectus, Censu annuo florenorum Octuaginta prouisus; & alij duo, Maximæ videlicet Aræ, & S. Rochi Altaristæ, operante Fundatorum pietate Ecclesiæ Zdźiechouiensi accreuêre: quibus si adnumeres quatuor Vicarios, Ecclesiæ Parochiali Borcensi adscriptos, cum tribus Capellanis Borzeuianis, & duobus Altaristis Literatorum, & Contubernij Lanionum, facilè numerum Triginta trium Presbyterorum, rarâ etiam muratis vrbibus frequentiâ, in vno oppido implebunt. Par sanè exhibuit solicitus Reuerendi Adami zelus in Ecclesiâ Zdźiechouiensi, atque olim *Simon Oniæ* filius in templo Solimæo spectaculum; quando diebus præsertim solennioribus astitit *circa illum corona Fratrum, & quasi plantatio Cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi rami palmæ.* Atque hi omnes non officijs modò proprijs ex Erectione iniunctis, sed etiam saluti proximorum incumbere ex vsu habent; & quandocunque confluentis ac exomologesim poscentis multitudinis feruor exigit, alacrem excipiendis confessionibus operam nauant; ita vt interdum die vno, aliquot millia, accedente ipsorum ministerio, sacramento pœnitentiæ lustrata, redintegrato læsi Numinis

Auctæ præterea Fundationes Presbyterorum.

Eccl: 50.

fauore, viuificis eiusdem dapibus pasci mereantur.

Accendebat omnes exemplo, ad piam hanc lucrandarum animarum auaritiam Reuerendus Adamus, planè infatigabili laborum tolerantiâ, hærere in Confeſsionali (quemadmodum vocant) solitus; vt frequenter expiandis pœnitentium noxis intentus, vix circa vesperas lasso corpori necessariæ refectionis solamen concederet. Rigor tamen hic, quo amore proximi macerabatur, in ipso solo ſtetit; nam Sacerdotes huius erronearũ mentium aucupij cooperatores, instructis semper ad affluentiam mensis, lautoque conuiuio excepit; vt impleret mysticum illud ipsius Dei monitum, ab Apostolo iterùm promulgatum: *Non alligabis os boui triturãti*: imò cùm ipse parciſsimo vteretur cibo, & per tredecim integros annos ante mortem, vsu carnium nuncupato (vti opinio tulit) voto sibimet interdixerit; nihilominùs tam amicam sibi frugalis alimoniæ famem, copioso semper ciborum dato apparatu, ab alijs exesse amabat; lagiſsimâ humanitate, in hospitum tractamenta effusus. Patuit proinde Domus illius semper pauperi & Aduenæ; néue peregrini præsertim Religiosi vel Presbyteri, peregrinos se esse sẽtirent, officiosa Rñdi Adami hospitalitas, plusquã domesticas cõmoditates, exceptis tecto suppeditauit.

Labores indefeſſi R. Adami.

Deut: 15. & 1. ad Corin: 9.

Liberalitas eius in pauperes.

Tot

Tot virtutum meritorumque clarum insignibus, non promiscuus modò populi Amor, sed Magnatum etiam complexa est veneratio; vnde bini Posnanienses Episcopi, Andreas Szołdrski & Casimir9 Florian9 Dux in Klewan Czartoryski (cui postmodũ Primatialis Dignitas obtigerat) præhabitis singularium ipsius dotum experimentis, & familiari conuictui benignè adhibuêre, & suam cum illo Potestatem partiri sustinuêre: cùm præter amplissimos absoluendi, dispensandi, Paramenta sacerdotalia benedicendi, Presbyteros excipiendis confessionibus idoneos approbandi concessos fauores, Ordinariæ insuper Iurisdictionis auctoritatem illi delegârunt; vt in omnem Ecclesijs Borcensi & Zdzieſzouiensi adscriptum Clerum, Iudicis munere fungeretur. Sed iam pluribus in honorem Dei patratis facinorib9 illustrẽ, & laboribus perfunctum, ac insuper annis grauem, morbi etiam indiuisi senectutis pedissequi prægrauare ceperant; Calculi enim, podagræ ac colicæ passionis coaceruatis doloribus, scamma variarum ægritudinum in ipso, de ipso digladiantium factus est: cum quibus plusquàm semestri spatio conflictatus, quàm inuicto emineret animo, dum languido dissoluebatur corpore, per raræ patientiæ documenta monstrauit. Accessit longè acerbior ex incrementis Hæreticæ prauitatis pro-

Patientia in morbis diuersis.

tis prognatus dolor; quæ Suetico in Poloniam inuecta Leone, Leoninos planè rictus Templorum inhiando spolijs distendit, Leoninam rabiem in sacræ supellectilis prædam distrinxit. Quocirca æstuans conseruandi reliqui thesauri Ecclesiastici anxiâ solicitudine (nam magna eius pars ex indulto S. Sedis Apostolicæ in stipendia Militum cesserat) factâ tamen per Illustrissimos Dominos Andream Leszczynski Gnesnensem & Ioannem Tarnowski Leopoliensem Archiepiscopos Commissarios Apostolicos, sufficienti cautelâ, præstandæ compensationis (cuius authẽticum in Archiuo Zdźießouiensi asseruatur) postquam detracta parietibus anathemata, aliaque sacra vasa argento fabrefacta, ne Hæreticæ irritamenta fierẽt cupiditati, opportunis latebris texisset; ad occulendum potiorem Thesaurum, quo sacratius Ecclesia Zdźießouiensis imò tota maior Polonia ditescit, scilicet Miraculosam Imaginem animum curamque conuertit. Circumspicienti cuinam depositorio tam nobilem gazam inferret ac crederet? occurrit Celeberrimum in Silesiâ Monialium Sacri Ordinis Cisterciensis Trebnicense Monasterium, Diuæ Heduigis Magnificentiâ, sed magis ascetico secessu, & heroicarum virtutum exemplis nobilitatum. Ad hunc Parthenonem, Iconem Partheniam deuehi secretò placuit; vt

Imaginem B. Virg. grassante Sueco extra Regnum deportat.

Trebnicij deponit.

Primi-

Primiceria Reginaque Virginum, Virgineo stipata gynæceo, illas haberet Custodes, quas Liliatæ puritatis habet sequaces.

Nec multò post exportatam extra Regni fines Sacram Imaginem, ipse finem vitæ inuenit; & morbis ærumnisque confectus, mortem tanquam optimum malorum omnium remedium, lubens suscepit; *Melius* iudicans cum Iuda Machabæo *mori, quam videre mala gentis suæ*. Nurum olim Heli Sacerdotis prægnantem legimus, accepto de clade Israelis, & interceptâ à Philistæis Arcâ Domini, tristi nuntio, irruentibus subitò partus doloribus oppressam exspirâsse; hâc vnâ (cùm iam supremum exhalaret spiritum) bis ingeminatâ querelâ. *Translata est gloria Domini de Israel, quia capta est Arca Dei.* Quodsi vnius Mulierculæ animum adeò perculit, illata ab hostibus Arcæ Fœderis iniuria; vt turbatis subitâ vertigine phantasmatibus, vitiatâque exinde humorum temperie, & vitalibus spiritibus nimiæ apprehensionis vi succisis ac prolapsis, exanimis corruerit; quàm violentum credimus dolorem inuasisse zelosi Sacerdotis pectus? quando grassante ad libidinem hæresi, & sese iniurijs spolijsque Ecclesiarum saginante, actam ad tempus in exilium (sic disponēte imperscrutabili Diuini consilij abysso) illius Virginis vidit Imaginem, quæ sola omnes hæreses interemit

1. Machab.

1. Reg: 4.

teremit in vniuerſo mundo. Piguit credo ſupereſſe terris, Sarmaticas terras linquente Virgine; & non inuitus transferri ex huius mundi fluctibus eligit, cum fluctuante Regni Fortunâ, euẽtu præſentium mæſtus, futurorum anceps & anxius, ingemiſcere coactus eſt; quia *Translata eſt gloria Domini de Iſrael.* Extinctus eſt placidiſsimo obitu Anuo 1657. nocte Sanctis Innocentibus dicatâ, perceptis ritè priùs Eccleſiaſticis Sacramẽtis, & confectâ vltimâ temporalium diſpoſitione, inter manus & complexus Sacerdotum defunctus; à quibus proximè ante mortem, erratorum in regimine veniam, humiliter iunctis manibus popoſcit, & lacrymabundus ipſe lacrymas adſtantibus *Pretioſam iuſti mortem* ſpectantibus elicuit.

Placidiſſima morte decedit.

Tertius poſt depulſam Oppido Borcenſi Hæreſim, regimen eiuſdem & ſimul Zdźieſzouienſis Eccleſiæ ſuſcepit Reuerendus Ioannes Trzemiński, tunc cùm iterùm Hæreſis Sueticis ſuccincta armis Polonorum inundâſſet; & felicibus primi Martis ſucceſsibus ebria, contra Eccleſias furiarũ tædis agi cœpiſſet; ad expilãdas ſtatim aras Catholicas, arcaſq; alienas nimis præcoci rapacitate intenta: breui enim experimento edocta, ſenſit veriſsimũ eſſe Salomonis oraculũ, quod poſtea iugulis Suecorũ Lechici incidêre acinaces: *Subſtantia feſtinata minuetur.* Siquidem accenſi proprio

Tertius Præpoſitus Zdźieſzouienſis, R Ioannes Trzeminski.

Prouerb: 13.

prio dedecore, & direptarum Ecclesiarum dolore Poloni; postquam serò licet, detractâ Leoni Suetico vulpinâ (quam ad tempus sumpserat) pelle, sub ficto *Protectoris* titulo prædonem latere deprehendissent, arma corripuerunt; & tumentem non tàm virtute suâ, quàm nostrâ vecordi oscitantiâ hostem, tum Monarchiâ Polonâ, quàm Scenicus Rex spe deuorauerat, tum præcipuarũ legionum robore, quas diuersis prælijs turpiter amiserat, pessimè mulctârunt; ac deniq̃ue ad suam Arcton, & pressos rigido Aquilone montes, inglorium pepulerunt. Vsus ergò partæ de Hæresi victoriæ gaudio Reuerendus Ioannes, primum eiusdem fructum DebellatriciHæresum Virgini sacrandum putauit; reducẽdæ Imaginis percupidus, quam hostili furori & ludibrio, prouidâ Migratione Antecessor exemerat. Proinde Trebnicium delatus, ipso Diuæ Heduigis anniuersario solenni, quod illìc multò populorum, ad visendum ipsius Sepulchrum turmatim veniẽtium concursu colitur, postridie Festi, Imaginem publicæ omnium venerationi exponi fecit; & suggestu inscenso, post celebratas Deiparæ laudes, Monialibus tanti Thesauri custodibus meritas gratias persoluit: atq̃ue ita transmisso inter solennia lætitiæ die, nox quoq̃ue omnibus sacris Virginibus, tum primùm hospitantis apud se Ma-

Post fugatos Suecos Imaginem reportari curat.

tris Virginis notitiam adeptis (nam antea sola Abbatissa depositi huius conscia fuerat) insomnis, & per industriæ pietatis certamina, ac continuas preces acta est.

Quâ pompâ Sacra Imago Trebnicio à Monialibus dimissa.

Vt primùm illuxit, numerosus Sacerdotum chorus, & simul ingens è vicinis regionibus multitudo, famâ abituræ Imaginis excita Templum impleuit; seu pium *Salue, Valeq;* simul tantæ hospiti dicere, seu in vltimo discessu, aliquid MARIANÆ gratiæ raptim decerpere humili supplicatione cupiens: Sacra verò Monialium Cohors, obtentâ à Reuerendissimo Ordinis Commissario licentiâ, ad normam prudentûm Virginũ, cum accensis vice lampadum facibus, extra Claustrum progressa, obuiam Diuinæ Sponsæ venit; ac solenni pompâ, delatam humeris Sacerdotum Imaginem antecedens, inter suauia modulamina, ac internæ dulcedinis entheos gustus, ad paratũ essedum velut ad Triũphalem currum, eandẽ deduxit; opplentibus circumiectos campos omnium ordinum & statuũ agminibus, quæ nouissimo illo obsequio, reducẽ ad propria Sacrã Iconẽ honorare satagebãt. Ipsa Rẽdissima Dorothea de Bnin Bnińska Abbatissa vti Territorij Trebnicẽ Ducissa, frequẽti Baronũ & Nobiliũ, Iurisdictioni illius subiectorũ stipata coronâ, cum delectis Virginibus, ad vsq; septimum milliare Imaginem

Moniales Processionaliter deducunt Imaginem B. V. vehendam in Poloniam.

ginem proſequuta eſt; & adoratâ nouiſsimè Deiparâ reuertens, integram armatorum ſatellitum cohortem, honoris ſimul ac ſecuritatis causâ, eidem deducendæ ad limites Sarmaticos, cuſtodem circumdedit.

Poſtquam autem fines regni attigit redux ab Exilio Imago, innouatum vidiſſes Iſraelitarum in reducendâ Arcâ Fœderis feruorem; certatim enim ex oppidis ac villis occurſantes ſupplicãtium turmæ, feſtiuis gratulationibus & plauſibus, venientem in ſuâ Icone Deiparam excipiebant; donec Pogorzelium ventum, oppidum leucâ vnâ Borkouiâ diſtans; vbi Imago tantiſper ſubſtitit, donec Illuſtriſsimus Albertus Tholibowski, Epiſcopus Poſnanienſis (qui conſecrandæ Eccleſiæ Zdzießouienſi ſuperuenerat) ſolénia vnctionis ſolitoſque circa dedicationes Templorum ritus expleret. Quibus peractis, poſtridie ipſemet Præſul aduentanti Imagini obuiam proceſſit; non ſolùm lectiſsimâ Procerum Equitumq; Polonorum ſtipante coronâ, ſed plurimis cuiuſuis ætatis, ſexus, ac conditionis effuſis Myriadibus; perſtrepente in argumentum lætitiæ, alternantibus canentium Choris æthere, & manãtibus præ gaudio ex oculis ſpectatorum lacrymis; qui manifeſtè cernebant, æmulo iterùm aſtu à Deiparâ victum eſſe Regem Hæreticum, atq; olim legimus

Lætitia & concurſus populorum in reductione Imaginis.

Visa tunc Triumphare B. V. de victis Hæreticis.

illusum Herodem Tyrannum; & artis fuisse quòd declinauerit non timoris; sacramenti non pauoris; siquidem Deipara cessit tempori non Hæresi; neque hostem fugit, sed opportunâ Potentiæ occultatione, licentiosè ruentem in præceps iecit; vt gloriosius de insolescente victorijs Sueco, plenam victoriam reportaret. Itaq; per calcatæ Hæreseos busta, Victrix Imago, Triumphali inuecta pompâ, suas iterùm remeauit in sedes; dato sæculis omnibus clarissimo documento, MARIANVM Honorem supprimi aliquādo ex arcanâ Diuini consilij ratione posse, nunquam opprimi; & Mastiges illius protelare duntaxat debitas sceleribus pœnas, non euitare.

R. Ioannis Præpositi in ampliando cultuB V. feruor.

Partâ hac insigni reductæ Miraculosæ Imaginis gloriâ Reuerendus Ioannes, totus ad proferenda MARIANI cultus augmenta incubuit; cùmque cerneret Principibus viris multò interdum comitatu locum inuisentibus, apta in oppido deesse diuersoria, amplissimam Curiam in tria infernè totidemque supernè capacia receptacula distributam, & eleganti opere spectabilem, cum adiectis commodissimis conclauibus, ac necessario vtensilium apparatu, eminentioris fortunæ Hospitibus construi curauit: atque ipse ad officia hospitalitatis versus, necessitatibus conuenarum occurrere; lassitudines refouere; indigenti-

gentiam ſubleuare; & omnibus promptâ munificentiâ ſeſe partiri, inter præcipuas curas habuit; Vir comi candore, & vacuo faſtus ſupercilio, promiſcuam caritatem omnium promeritus, dum eandem omnibus præſtat. Extat præterea ſingulare illius facinus, iure meritò memori ſequẽtiũ ætatum gratitudine proſequẽdum; ſiquidem occupatis multorũ Procerum animis, allectiſq; fauoribus, in Comitijs Regni ſub Sereniſsimo olim Poloniarum Michaele Rege Varſauiæ celebratis, Donationem perpetuã Bonorũ Villæ Raysko in Palatinatu & diſtrictu Caliſsiẽſi ſitæ, in alimẽta Sacerdotum ſub ſignis MARIANIS ad Eccleſiã Zdzieſʒouienſem merentium, accedente omnium Ordinum conſenſu obtinuit; prout Conſtitutio eo nomine lata de Anno 1673 pleniùs obloquitur. Tentauit & Presbyteros dictæ Eccleſiæ per diuerſa miniſteria ſparſos in vnius congregationis corpus redigere, conſcriptiſque ad eum effectum opportunis legibus, ab Illuſtriſsimo olim Alberto Tholibowski Epiſcopo Poſnanienſi, per ſpeciale reſcriptum approbatis, communi nexu adunare: verùm aliter Numini viſum: exempto enim humanis Reuerendo Ioanne, Succeſſor à Patronis & Collatoribus datus Reuerendus Staniſla⁹ Grudowic quondam Academiæ Cracouieñ Profeſſor, Congregationis S. Philippi Nerij Presby- ter,

Obtinet in Comitijs Regni donationem Villæ Raysko.

Presbyteros omnes viuere conatur.

Post mortem illius, Ecclesia Zdziesżouiēsis PPbus Congregationis Oratorij S. Philippi Nerij cedit.

ter, mox accitos instituti sui socios, in possessionem Ecclesiæ Zdźieśouiensis immisit; & potiora Munia, ac curas in asseclarum suorum humeros transtulit; veteranis emeritisque Sacerdotibus, circa suas fundationes & Capellanias conseruatis. Quo facto maiorine Ecclesiæ cōmodo, & loci sacri ornamento, ac Virginei cultus incrementis consultum sit? an sequiùs? Optimus euentuum interpres Tempus monstrabit.

Moritur.

Vitâ functo Reuerendo Ioanni Cenotaphium amici posuêre.

Recensentur insigniores Ecclesiæ illius Benefactores.

Hactenus trium Præpositorum recensui Merita & Virtutes, quibus Ecclesia Zdzieśouiensis originem debet & progressum; superest vt volante saltem pennâ, attingam laudes, & nomina perennitati consecrem illorum Mæcenatum; quos tametsi Sacerdotalis Characteris decus non insigniuit, impensa tamen adornandæ Ecclesiæ Zdźieśouiensi Liberalitas, Sacerdotalis oblationis fructu minimè priuauit. Placet nimirùm Deo præter Eucharisticam illam Victimam, quam Presbyteri quotidie ritu incruento immolant, etiam religiola gratuitæ Largitionis, quæ à Munificâ litatur manu hostia, Sancto Paulo attestante qui inquit. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.*

Hebr: 13.

Primas in hoc oblationis genere tenet Illustrissimus

mus olim Stanislaus à Przyima Przyiemski, Marschalcus Curiæ Regni, Generalis Gubernator Maioris Poloniæ, Osiecensis, Koninensis, Capitaneus: qui aditâ Hæreditatis Borcensis possessione, hâc maximè sorte beatum se credidit, quod in sortem suam Indigena ditionis illius Deipara concesserit; ac positis in Ecclesiâ Zdźießouiensi Laribus, stabile domicilium intra ambitum territorij Borcensis, tam longo temporis tractu contraxerit. Lætus ergò incolatu Dominæ illius, per quam etiam Reges regnant, vrbanissimo prodigæ liberalitatis cultu, aucupari gratiam ipsius & totum id abolere contendit, quiquid Hæretica Antecessorum inciuilitas, vix non paganâ barbarie in Virginis Maiestatem deliquerat. Ac inprimis squalorem quo diutius Imago Deiparæ oblita, per summam Iconoclastarū iniuriam pænè obsoleuerat, abstersum compensatumque cupiens; totam Imaginis superficiem (quæ in longum duos cubitos, in latum verò paulò minori mensurâ extenditur) crassioribus laminis argenteis operuit; ita concinnè ad symmetriam picturæ adaptatis, vt elimatum docti artificis manu in vestimenta argentum, vndulato syrmate Lineamentis Imaginis responderet; solis duntaxat vultibus Diuinæ Matris ac Dei Filij in publicam venerationem patentibus. Addidit

Illustrissimi Przyiemski erga locum sacrum liberalitas,

Imaginem totam laminis argenteis vestit.

octo

octoCādelabra argētea magni pōderis, & lāpadem eodem metallo fusam, perēnis ante aras Virgineas ignis baiulam, seu nutricem; Paramenta præterea auro texta, & opere polymito eleganter variegata, in vsus sacrificij ac Ministrorum. Denique cùm multa alia donaria non tenuis pretij Ecclesiæ Zdźiesouiensi sacrauisset, summā Quatuor millium florenorum pensioni census annui subiectam, symphoniacis iure perpetuo in dotem adscripsit; qui officia Diuina, & Laudes MARIANAS, iugi canore suauique melodiâ personarent.

Coniunx illius legat sex millia pro fabrica Ecclesiæ.

Sequuta est exemplum Mariti indiuisa quemadmodum vitæ ac fortunæ, ita Heroicarum facinorum ac gloriæ socia, Illustrissima Anna de Bnin Coniunx; palmamque sibi præripi, in tam glorioso Pietatis agone non sustinuit. Vnde & durante vitâ mariti, ditiora è mundo muliebri clenodia, Mundi Dominæ in ornamenta Imaginis transscripsit; & illo terris sublato, multò insignius Munificentiæ monumentum statuit, cùm summā sex millium florenorum continuandæ fabricæ cōsignauit. Conspirauit in eundem ampliandi Cultus MARIANI Zelum æmulâ contentione, Illustrissimus Dominus Adamus Olbrachtus Przyiemski, Supremus Castrorum Regni Metator, Illustrissimi Dñi Marschalci præmemorati, virtute æquè ac sanguine germanus; qui consono ad Nomi-

Illustrissimus Olbracht⁹ Frater Marschalci Summam pro alendo igne perpetuo inscribit.

Nominis ſui Etymon (quod Illuminatricem vel Illuminatam ſonat) cupiens MARIAM honorare obſequio, ſummam Mille quingentorum florenorum fouendo perpetuo ante aram ipſius lumini inſcripſit, & in Bonis Hæreditarijs Cegelnia nuncupatis aſſecurauit: verè *Filius Lucis*, ſiquidem præſtitis copiosè in alimenta perennaturæ Lucis impendijs effecit, vt legalis Figura in manifeſtationem, vmbra tranſiret in veritatem; dum ante Imaginem Deiparæ inextinctos ignes accēdit, qui iam olim ante Arcam Fœderis, indefeſſâ Sacerdotum nutriti curâ, in typo præluxerūt. Epheſ. 5.

Tranſijt etiam ad poſteros inclytæ Przyiemſcyorum Domûs, velut naturalis ſucceſsionis iure, officioſæ ad ſeruitia MARIANA promptitudinis hæreditas: nam Illuſtriſsimus Petrus Przyiemski, Caſtellanus Srzemenſis, præfati Illuſtriſsimi Staniſlai Marſchalci congeneranti Parentis Filius, attentis Virginei Sacelli anguſtijs, quod ſatiare vota populorum cupidine contuendæ in ſuâ Imagine Deiparæ anhelantium, commodè nequaquam poterat; & vix per turmas ac interualla, venientem multitudinem impedito difficilique aditu excipiebat; dignas Senatorio pectore concepit curas, vt auguſtius delubrum locandæ ſacræ Iconi moliretur. Proinde erectâ officinâ lateritiâ, ple-

Illuſtriſsimus Petrus Przyiemſki nouū Sacellum Imagini molitur.

nam absolutamque potestatem fecit cædēdarum in syluis hæreditarijs arborum, quæ non modò coquendis lateribus, parandoque cemento, sed etiam restaurandis Presbyterorum ædibus sufficerent; ac insuper Duo millia florenorum, in architectos operasque eroganda consignauit. Adiecit consors illius de Illustrissimâ Domo & Familiâ Opalinscianâ pretiosa Cimelia, tribus millibus florenorum æstimata; geminosque annulos rari fulgoris & valoris adamantibus coruscos, præter vnionum ab extremo oriente petitorum copiam, ornandæ Imagini dicatam; nobilissimâ sanè æmulatione, ne solus Coniunx inter Clientes, seu veriùs Curiales Reginæ Cælorum Proceres censeretur; sed quos Coniugalis vinxit amor, æquata piæ liberalitatis consortia, ad cælestes simul Curules prouehêrent. Idem dilatandæ Virgineæ Ædis entheus ardor, afflauit Par aliud Inclytorum coniugum; Perillustrem nimirùm Dominum Stanislaum Pogorzelski vltimum Domûs suæ Hæredem in Pogorzel, Castellanum Calisiēsem, suamque consortem de domo Smuseuianâ; quorum ille pulcherrimum monile solido auro graue, ac pretiosis distinctum lapidibus, vnâ cum aliquot centenis florenis; Hæc verò sum̄am mille florenorum, in fabricam noui Sacelli, alacri munificentiâ contulêre. Verùm & plures alios animo

Ad eandem fabricam cōcurrit Illustrissima Coniunx.

nimo manuque liberali promptos, ad maturandam eiusdem structuræ compagem, Dia excitauit Pietas; siquidem & Magnificus Dominus Rogalinski, & Admodum Reuerendus Sebastianus Gostkowski Parochus Borzęcinensis, non modicas summas, in sumptus Sacelli Virginei largiti sunt. Cæterorum nomina tametsi defectus scripturæ, vel etiam vltronea ipsorum ex contemptu gloriæ profecta suppresſio, humanæ subduxit memoriæ; descripsit tamen in Libro vitæ ille, qui & capillos suorum, maximè verò MARIANOPHILORVM in numerato habet.

Et alij plures insignes Mæcenates.

Restant adhuc cum laude memorãdi Benefactores, qui licet de terrestri ac tandem perituro metallo, in ornamenta Loci Sacri affatim non congesserunt; sacratiore tamen gazâ Ecclesiam Zdżiesouiensem locupletârunt; cùm ipsam pretiosis Sanctorum Reliquijs *Quorum ossa ipse Dominus custodit*, nobiliùs adornârunt. Primùm inter hos locum tenet Reuerendisſimus Dominus Ioannes Grzymułtowski, Abbas Landensis, qui instinctu Illustrisſimi Domini Andreæ Opaliński, Episcopi Posnaniensis, Caput vnius è Legione Vndecim Millium Virginum, accedente expresso consensu & ratihabitione Patrum & Fratrum Monasterij sui, Ecclesiæ prænominatæ donauit. Simili munere ditauit eandem Ecclesiam Reuerendisſi-

Reliquijs diuersorũ Sanctorum Ecclesia ornatur.

dissimus Dñus Ioannes Ruśkowski Abbas Paradisiensis; nec enim contentus quæsitis à terrâ donarijs Aram Deiparæ adcompsisse; è cælestibus accersijt, quod in honorem Cæli Dominæ transferret; cùmq; antea par candelabrorum argenteorum, vnà cum pelui & Aquali Argenteis, Ecclesiæ obtulisset, addidit potiorem ipsi splendorem, donatis insignibus particulis, ex illis Sanctorum corporibus quæ olim *fulgebunt sicut Sol in Regno cælorum*: attexo Cathalogum harum Reliquiarum, vt magnitudo Muneris innotescat. Inprimis de Collegio vndecim millium Virginum insignis Pars Omoplatæ. Medium cruris de eodem collegio. Ossa earundem integra de cubitis. Ex Socijs Sancti Zenonis insignis particula. Ex camisiâ B. Iosaphati particula sanguine eius tincta. Sancti Stephani Martyris non modica particula. Dens S. Honorati Mart. Dens S. Olympij Mart. Ex quadraginta Martyrum ossibus particula. Ex decem millibus Militum Crucifixorum pars satis magna de scapulâ. Reliquia S. Theodori M. ex Cemeterio Priscillæ. Reliquia de Ossibus SS. Innocentum. Capilli B. Iosaphati.

Auxit pretiosissimũ hunc Sacrorũ Lipsanorum thesaurũ Gñolus Matthias Treterus Sacræ Regiæ Maiestatis Secretarius; dũ insignes Sancti Pacifici Martyris Reliquias tumbâ argenteâ inclusas, cum

alijs

alijs SS. Primi & Feliciani Martyrum notabilibus particulis, Ecclesiæ donauit; præter Peristromata è Villoso holoserico coccinei coloris confecta, ac fimbrijs lacinijsque auro intextis adornata, & alia non leuioris pretij, quæ vestiendis Sacelli Virginei parietibus deseruirent, de labore manuum suarum liberaliter erogata: & quò maior Sanctorum Tutelarium, sub vmbrâ Reginæ illorum vigeret cultus; Tribus altaribus opere statuario in honorem Diuorum Isidori, Philippi Nerei, & Beati Ioannis Cantij, in Academiâ Cracouiensi Sacræ Theologiæ Doctoris, Præsbyteri secularis, de nouo erectis, eximium decus Basilicæ Zdźiesouiensi addidit. Verùm eminet Imago B. Ioannis Cantij, recenter in Beatorum numerum ab Innocentio XI. Papâ relati, ac solenni festo sub ritu duplici, per vniuersum regnum Poloniæ, eique annexas Prouincias, die decimâ nonâ Nouembris coli annuatim iussi, singulari artificio visenda; quam celebris æui huius Religiosus Pictor, rarâ etiam exterorum ingenijs elegantiâ, in laminâ stanneâ affabrè, pænè ad stuporem intuentium depinxit.

Superessent plura de largitionibus Benefactorum, concursibus Populorum, Ordine ac Maiestate Diuinorum officiorum, in Ecclesiâ Zdźiesouiensi peragi solitorum, cum fructu memoran-

da; quibus tamen consultò abstineo, ne prolixitate Operis fastidiosum Lectorem grauem. Illud silentio nullâtenus inuoluere debeo, quod insignem Deiparæ erga hanc suam Imaginem liquidò probat affectum; quia scilicet MATER ADMIRABILIS, non solùm ipsi Prototypo, sed etiam pluribus ad normam eius depictis Iconibus, vim ac virtutem admirabilem indidit; easdemque pluribus Gratiarum ostentis insigniuit. Celebris est prodigiorum gloriâ & magnitudine Posnaniæ, apud Patres Ordinis Minorum Conuentualium exigua Imaginacula, hanc nostram Zdżieśouiensem (prout ipsorummet Patrum eiusdem Conuentus testantur literæ) lineamentis exprimens; quam Frater quidam eiusdem Ordinis Conuersus, in argumentum amoris depingi curauerat, ac in Religiosæ Cellæ adsciscens præsidium, priuato cultu prosequebatur; tot enim iam in publicum signis, ab Illustrissimo Loci Ordinario legitimè recognitis, & probatis inclaruit, ac tantos confluens illûc populus, interueniẽte Deiparâ Propitij Numinis haurit fauores; vt iustũ Volumẽ implere possent, si per singula supputari deberẽt. Par Beneficẽtiæ MARIANÆ fulgor radiat circa aliã Imaginem, ad huius æmulationem prototypi, artifice penicillo digestam; quæ in Silesiâ in Monasterio Trebnicẽsi paulò ante memo-

Transsumptæ Imaginis Zdżieszouiensis Miraculis coruscant.

memorato, vbi S. Heduigis Ducissa & Patrona Poloniæ inclytum habet sepulchrũ in magnâ veneratione habetur. Tũ aliæ in Szrem, Kozmin, Krotoszyn ac Crac: apud PP. Ord: Min: de Obs: in alijsq; pluribus locis extantes. quæ magnâ veneratione colũtur, & maiorem in dies per frequẽtissima gratiarum experimenta intendunt & propagant.

Sed iam ad imponendam Capiti huic Coronidem vocor, quam symbolo à Syluestro Sancta Petra mutuato adorno. Pinxit ille nubem roscido vapore turgentem, cui oppositus Sol impactis radijs simillimam sui effigiem impressit; alterumque solem ex incidentiâ repercussi luminis formatum, in aduersâ nube parturijt; additâ epigraphe mysterij indice *Quia respexit*. Et Symbolista quidem ad Increatum illum allusit Solem *Qui solus* (Apostolo teste) *lucem habitat inaccessibilem*: namque hic miro & inenarrabili modo irradians Sacratissimæ Virgini, quam Nubis ast nullo peccati pondere grauatæ nomine appellauit Isaias dicens, *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem*, in alterum sese in Nube hâc, verùm iam oculis humanis spectabilem replicuit solem; dum carne amictus à Virgine sumptâ, in terris refulsit. Mihi tamen idem Hieroglyphicum non incongruè tholo Ecclesiæ Zdzieszouiensis appingere liceat; vbi tot intaminatæ probitatis

Symbolum Ecclesiæ Zdzieszouiensi, eiusq; Ministris Presbyteris accommodatum.

1. Timoth: 6.

bitatis Sacerdotes, tot zelosi Mæcenates, operosissimo deuotæ solicitudinis adnitũtur ambitu, vt MARIANÆ gloriæ splendor, magis in dies rutilans sit semper in Auge. Nonne enim

Cant: 6. ipso Spiritu Sancto vade, Deipara est *Electa vt Sol:* quæ dum benignos radios, in amica deuotorum Clientum pectora vibrat & iaculatur; tãquam in Diaphanas ac leues nubes incidit (his enim æquiparantur Iusti à Prophetâ dicente) *Qui*

Isaiæ 60. *sunt isti qui vt nubes volant?* atq; Diuiniori & Mystico artificio speciem illis suã imprimit, quando arcanâ delineatione, virtutũ suarũ symmetriam in illis effingit ac effigiat. Gauisa est specioso hoc spectaculo, atq; etiam hodie gaudet Zdziekouiensis Ecclesia, cum Pastores olim suos Felices, Adamos, Ioannes, & tot alios spectatissimæ virtutis Sacerdotes exhibet; qui MARIANO illustrati à Sole, alterũ solem induerunt mente, expresserunt conuersatione; vt euidenter Deipara in eorum non solùm luceat cordibus, sed etaim moribus, idcirco *Quia Locum* Personasque dilectas singulari gratiâ *Respexit.*

Apostrophe gratulatoria ad Patriam.

Non possum hîc temperare animo & calamo, quin Tibi gratuler ô nimiùm dilecta Deiparæ POLONIA; cuius tantis circumfluis fauoribus, vt non modò Te pluribus Imaginibus Miraculorum gloriâ illustribus nobilitet; verùm etiam

etiam Reginam se Tuam affectuosissimo ambitu nominari amet; & inter potiores Titulos REGINÆ POLONIÆ appellationem numeret ac vsurpet (prout ipsamet Iulio Mancinello Societ: IESV Sacerdoti, opinione sanctitatis claro indicauit.) Sub tantæ imperio Dominæ secura, temnes vanas iratæ Fortunæ minas; nulloq; splendores Tui inhorrescent nubilo, nullâ atrabuntur caligine, quibus tam propitijs adlucet radijs, *Mulier amicta Sole*: & tantò fidentiùs Gentilitia tua AQVILA, coacta in exitium suum ridebit ex alto fulmina, quantò sacratius inter omnes Christianis sacris initiatas nationes, Pennas suas obsequijs illius commodauit; *Datæ sunt enim* Ioãne S. teste *Mulieri alæ duæ Aquilæ Magnæ.* Fremat licet immensa armorum suorũ ferox rabie Othomanica Luna; & insatiabilem distringat orexim, vt per Sarmaticas ruinas faciliùs *Totum compleat Orbem*; Victrici tamen *Fortis* huius *Mulieris* conteretur calcaneo, iam enim olim cælo præsignante, visa est *Luna sub pedibus eius.* Habes non dubiũ eximiæ erga Te dilectionis MARIANÆ pignus; siquidem *Regina* hæc Tua, quæ *adstitit à dextris Domini in vestitu deaurato circumdata scutulatis*, vnum Tibi cælitùs submisit, & munimini Tuo circumdedit SCVTVM, in Serenissimo IOANNE TERTIO; sed nulli penetrabile

Apoc: 12.

Ibidem.

Prou: 31.

Apoc: 12.

Psal: 40. secundùm versionem 70. Interpret.

ferro: vt illi meritò adſcribi debeat, quod fabuloſo Æneæ muſa Maronis accinit Clypeo,

Virg. Æneid. *Ingentem Clypeum formant vnum omnia contra Tela Latinorum.*

Hoc Clypeo Regina Tua MARIA *obumbrabit*

Pſal: 114. *ſuper caput tuum in die belli*; vt ſub vmbrâ eius tutius degas ac perennes, quam Græcia ſub inuicto Aiacis ſcuto. Illud interim toto Votorum Tuorum ſatage apud Deipâram conatu; vt hæc *La-*

Virgil: *pſa Ancilia cælo*, ſeris demùm exactis ſæculis, repetat idem quod dedit cælum; ſiquidem protegeris contra omnes inſani Æoli æſtus ac procellas, æquipari Alcidæ Clypeo; cui olim Heſiodo

Heſiod. atteſtante, Græcis literis inciſa legebatur Epigraphe; PORTVS TVTVS INDOMITI MARIS.



CORRIGENDA.

PLura in hunc Librum irrepserunt Errata, propter frequẽtem absentiam eius, qui Typo & Correcturæ inuigilabat: Potiora quæ sensum viciant, aut in Leges Latinæ Linguæ grauiter impingunt, habes Beneuole Lector inferius connotata. Reliqua in quibus transpositione vel additione seu defectu alicuius Literæ vel etiam contra Orthographiam peccatur, ipsemet pro Tuâ humanitate corrige, & Typographo parce.

Pagina 13. ℣. 24. flãmatis: *lege* flammantis.
Pag: 17. ℣. 4. Pameada: *lege* Paneada.
Pag: 19. ℣. 8. Cataphricum: *lege* Cataphrygum.
Pag: 32. ℣. 25. Effectũ: *lege* Effictum
Pag: 35. *ad Mar.* Debrius. *lege* Delrius.
Pag: 50. ℣. 20. Tẽporis: *lege* Teporis.
Pag: 58. ℣. 25 non pauca obliuit: *lege* non parca obleuit.
Pag: 60. *ad margines* Edit: *lege* redit.
Pag: 61. ℣. 2. Eiusq;: *lege* Eoulque.
Pag: 65. ℣. 4. Examine: *lege* Exanime.
Pag: 80. ℣. 18. Rectã: *lege* Redactam.
Pag: 89. ℣. 11. Casu: *lege* Casus.
Pag: 95. ℣. 5. Obstricante: *lege* Obstetricante.
Pag: 102. ℣. 8. aspergi ne: *lege* aspergine.
Pag: 111. ℣. 1. Insinuerat: *lege* Insinuauerat.
Pag: 112. ℣. 8. Lucis: *lege* Luci.
Pag: 119. ℣. 10. Abijt: *lege* Abit.
Pag: 126. ℣. 10. Tantũ: *lege* Tantam.
Pag: 127. ℣. 13. Mixti: *lege* Mixtim.
Pag: 128 ℣. 15. Populis: *lege* Populo.
Pag: 141. ℣. 1. Sanis: *lege* Sanies.
Pag: 142 ℣. 17 succidiuis: *lege* succiduis.
Pag: 146 ℣. 17. Iuuenum: *lege* Iuuenem.
Pag: 147 ℣. 4. Valeri: *lege* Valere.
Ibidem ℣. 6. Itinere: *lege* Itineri.
Ibidem ℣. 24 Doloris: *lege* Dolores.
Pag: 153. ℣. 7 Diui: *lege* Diuini.
Pag: 154. ℣. 13. Percullit: *lege* Perculit.
Ibidem ℣. 14. Triduaui: *lege* Triduani.
Pag: 157. ℣. 13. Qui: *lege* Quæ.
Pag: 159. ℣. 26. Tentatatus: *lege* Tentatus.
Pag: 161. ℣. 26. Thragicus: *lege* Tragicus.
Pag: 164. ℣. 25. Corpore: *lege* Colore.
Pag: 166. ℣. 13. Festino: *lege* Festiuo.
Pag: 172. ℣. 13. Potu: *lege* Potus.
Pag: 187. ℣. 21. Vtensibus: *lege* Vtensilibus.

Ibidem ℣. 25. folui lacrymas: *lege* folui in lacrymas.

Pag: 188. *ad Margines*: & incipien: *lege* Glacie & incipiens,

Pag: 189. *ad Margines*: Prodigiofo: *lege* prodigiose.

Pag: 197. ℣. 7. Tranfcendere: *lege* Tranfscendere.

Pag: 200. ℣. 21. Non diftituit: *lege* Non deftituit.

Pag: 202. ℣. 18 Deletoriam: *lege* Deleteriam.

Pag: 207. ℣. 10. Recipit: *lege* Recepit.

Ibidem ℣. 14. Immomenti: *lege* Immerenti.

Pag. 220. ℣. 4. Rei geftæ, *adde*: ferié rei geftæ.

Ibidem ℣. 14. Quo tunc: *lege* Qui tunc.

Pag: 223. ℣. 15. Vbi: *lege* vel.

Ibidem ℣. 16. fuppofitione: *lege* fuggeftione.

Pag: 224. ℣. 20. Concinarunt: *lege* cecinerunt.

Ibidem ℣. 23. Palentes. *lege* Palantes.

Pag: 240. ℣. 8. Tempore: *lege* Tempero.

Pag: 246. ℣. 5. Erymnis: *lege* Ery nis.

Ibidem ℣. 16. Reprefentat: *lege* Repræfentat.

Pag: 247. ℣ 8. Præbuiſse: *lege* Pr lufiſse.

Ibidem ℣. 10. Eorum eo: *lege* Coram eo.

Pag: 248. ℣. 25. Amauitque finus: *lege* Amouitque.

Eodem verfu, Ortu: *lege* Ortus.

Pag: 250. ℣. 20. Corrufcare: *lege* Corufcare.

Ibidem verfu vltimo, Et conceſsa: *lege*, & de conceſsâ.

Pag: 251. verfu vltimo, Vauis: *lege* Nauis.

Pag: 252. *ad Margines*: fuppeditauit: *lege* fuppeditare.

Pag: 270. ℣. 21. Lagiſſimâ: *lege* largiſſimâ.

Pag: 274 ℣. 4. Eligit: *lege* Elegit.

Ibidem ℣. 20. Polonorum. *lege* Poloniam.

Pag: 285. ℣. 17. Locuplerarunt: *lege* Locupletarunt.

Pag: 288. ℣. 12. Imaginacula: *lege* Imaguncula.

Pag: 290. ℣. 20. Etaim: *lege* Etiam.





